REFVTATIO SCRIPTI SIMONIS SIMONII LVCENSIS, CVI TITVLVM FECIT,

D. STEPHANI PRIMI POLONORVM REGIS, &c.

Sanitas, Vita medica, Ægritudo, Mors.

AVTHORE

Nicolao Buccella olim eiusdem Stephani Regis, nunc verò Serenissimi Sigismvndi tertii, Regis Poloniæ, &c. designati Regis Sueciȩ, &c. Archiatro.

CRACOVIÆ

TYPIS ALEXII RODECII.

1 5 8 8.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. D. ANDREÆ BATTOREO CATHOLICÆ ROMANÆ Ecclesiæ Cardinali amplissimo, Patrono suo & optimo Mecœnati Nicolaus Buccella S. D.

VEterum sentētia fuit, Andrea Cardinalis amplissime, Philosophum hominem nec inuitum nec prę timore quicquam agere debere. Scitissima verissimaque illa meo quidem iudicio, si absolutè, exclusis interim actionibus, quas mixtas vocant, intelligatur. Contingit enim non rarò, vt ea Philosophi quoque faciant, quæ ipsis non probantur, & a quibus multò libentius abstinerent. faciunt ea tamen vltro, nullaq; externa vi eos ad id impellente. Quod mihi, si vnquam, hoc certè tempore accidit, cum prouinciam hanc respondendi Simonio suscepi. Nam, vt hoc prætercam, quòd eo sum ingenio præditus, vt iniquam pacem iustissimo bello præferendam ducam, vt meam ætatem sileam, iam satis grauem, valetudinem vitream, occupationes innumeras, quæ me vix respirare patiuntur, vna hominis vanitas, me multis nominibus a proposito hoc dehortabatur, immo etiam deterrebat. Videbam enim mihi cum homine rem esse, qui non veritatis amore disputat, sed, vt auram tātùm popularem captet; cuiq; non satis est rem, de qua dubitatur, tractare, excutere, ventilare, nisi etiam eum, qui a se diuersam sententiam profitetur, per calumniam & sæpe extra causam, accuset, diris imprecationibus

cationibus prosequatur, scommatibus irrideat, conuitiis laceret, ac dentibus, si fieri posset, dilaniet. Quid autem, cum tali homine congrediens, expectare aliud possum, quàm incommodum & iniuriam? Si modò iniuriâ quemquam afficere impurissimi hominis maledicentia potest. Adde, quòd disputandi seu potiùs rixandi cum eo nullus vnquam est modus: nunquam enim deest ipsi tergiuersandi locus, quando neque vllo pudore tenetur, neq; quicquam est, quod sibi non licere putet. mendacia enim indignissima semper in promptu habet, quæ vbiq; inculcat; aduersarii sui sententiam turpiter deprauat; locos in scriptis, quæ oppugnat, disiungit, & non rarò transponit; seipsum in testimonium adducit; maioris ponderis argumenta vel prorsus prętermittit, vel saltem eludit; plerumque sciens prudensq; ineptè concludit. Itaq;, cum hæc animo reputarem, quicquid Simonium in me latrare audirem, a respõdendi labore, vtpote mihi inutili & aliis non necessario, planè cõstitueram abstinere. Verùm, fregit tãdem nimia ipsius confidentia ac petulantia institutum meum. namq; mea facilitate abus⁹, cum sibi persuasisset, me calamum in ipsum minimè sumpturum (id quod palàm etiam post suorum in me scriptorum editionem dictitauit) non solùm acta in ægritudine inuictissimi Stephani Regis patrui tui, Domini mei clementissimi, quæ manifestissima sunt, & quorum ego aliique non pauci locupletissimi sunt testes, publico scripto inficiari, in dubiumq; vocare; sed me ipsum

ipsum quoque impudentiùs, quàm verbis antea faceret, criminari ausus est, eaque mihi inurere, quæ vix de homine scelestissimo dicerentur. Mutatâ igitur sententiâ, bolum hunc amarissimum, in hominis tam apertè ac confidenter me prouocantis gratiam, deuorare, ipsiq; respondere decreui. quod meum consilium, vtut alijs forsitan posset, mihi certè ob iam dictas causas satis probari non potest. Verumtamen haud committendum putaui, vt nequissimi istius peruersitate quasi fractus, parum & veritatis, & existimationis meæ rationem habuisse viderer. Respondi igitur hoc scripto, atque ita, ni fallor, respondi, vt parum sanè Simonio reliquerim, quod responsioni meæ respondeat. Respondens autem tum veritate innixus, tum figmenta Simonii vera esse ponens, ostendi, omnia, quæ ipse ad meam ignominiam rapit, in ipsius perpetuum dedecus redundare. Huic an ipse responsurus sit, ignoro. Sed si modestè, non autem vt hucusque mecum & cum aliis fecit, responderit, quò veritas atque innocentia mea magis conspicua fiat, non grauabor hunc respondendi laborem denuo subire. At verò, si nugis suis insistens, mihi iterum obgannire atque oblatrare perget, ego, in mea innocentia conquiescens, parum ipsius latratus curabo, mihiq; interim gratulabor, me vniuerso orbi veritatẽ hui⁹ facti, de quo nunc agimus, vt habet, certissimis testibus & rationibus adductis, aperuisse, meamque existimationem ab ipsius calumniis vindicasse. Quanquam hoc fortè quis inanis labo-

 ris fuisse

ris fuiſſe dixerit.nam,vel ipſius aduerſarii mei teſtimonio, falſa ſunt,quæ mihi impegit,conuicia; ſiue ignorantiam obiiciat,ſiue improbitatem. Non ſemel enim in ſuis,contra Eraſtum, & contra Squarcialupum,editis ſcriptis,me,virum optimum,eruditiſsimumq́;,appellauit. Verùm,licèt etiam hoc meo ſcripto a garriendo maledicendoque coërcere hominem non ſperem: placuit nihilominus tamen,me ſemel omnibus hac ratione purgare, (aliis,inquam, non ipſi Simonio. neque enim Simonius earum, quas in me iecit, calumniarum ignorantiam prætendere poteſt) vt me in re tanta mihi non pepercisse, neq; vllum laborem, vt veritas exiſtimatioque mea integra illibataq; maneret,grauem mihi fuiſſe appareat. Hoc autem quidquid eſt, tibi inſcriptum dicatumque volui Andrea Cardinalis ampliſsime,qui Sereniſsimi STEPHANI Regis D. memoriæ vera abſolutaque, & corporis & animi imago, præclarumque ætatis noſtræ lumen & ornamentum es,vt tuo ampliſsimo Reuerendiſsimoq́ue nomine munitum, maleuolorum & detractorum omnium morſus faciliùs,aut vitet,aut contemnat,vtq́ue tuum nomen circumferens meam erga tuam amplitudinem,obſeruantiam omnibus teſtatiorem faciat. Nec dubito,quin id gratiſsimo animo accepturus ſis,tum quia de reb⁹ diſſerit,quę ad te potiſsimùm ſpectant, tum etiam quia ab homine tui tuorumque omnium ſtudioſiſsimo proficiſcitur. Bene vale vir Illuſtriſsime & me tuorum in numero habe.

Datæ Cracouiæ Idibus Februarii. Anno 1588.

Ad Simonium maledicum.

Viuis omnia in omnibus,proteruo
Morſu carpere,homuncionis index
Infelicis,& eſt minus beati.
Cuius ſpes vbi ſors acerba cunctas
Multauit,mare merſus in malorum,
Parcit nec ſuperis,viris nec vllis:
Diris ſacrat atrocibus ſed omnes,
Cum fama ſocia,& bonis negatis.
Si nulli nocitura tela torques
Autori niſi. Quid moror? Simoni
Pergas,quò tua te Megæra ducit.

AD LECTOREM.

CVM Refutationem hanc ſcribere iam cœpiſſemus, prodiit aliud eiuſdem Simonii ſcriptum; ſub nomine tamen Amadei Curtii Ticinenſis: quo ad Georgii Chiakoris Epiſtolam, adq; illius Examen reſpondere conatur. vbi acerbiùs etiam adeoq; iniquiùs, quàm antea, nomen exiſtimatioq; mea impetitur ac laceratur. præterquam quòd multa ibi dicuntur in tota hiſtoria morbi ac mortis Stephani Regis, quæ planè falſa ſunt, & cum iis, quæ hîc ſcribimus, pugnant. Quare non committam (ſpero) vt ſine reſponſione mea tale ſcriptum diu extet. ſed, Deo volente, propediem non minùs illius, quàm huius, vanitatem, iniquitatemq; publicè detegam ac demonſtrabo. Tametſi non dubito, quin eam, maxima ex parte, hæc Refutatio noſtra vnicuique palàm ſit factura. Vale.

SOcratem interroganti cuidam, cur nihil ſcriptum relinqueret, reſpōdiße ferunt, ſe videre, chartam multò pretioſiorem, quàm quæ ſcribenda forent. Quod quidem dictum, cum aliorum, tum verò Socratis ipſius ratione tunc temporis fortè minùs verum fuit, cum nondum videlicet vlla ars aut ſcientia ſatis cognita, aut a quoquam certa methodo comprehenſa eßet. At verò hoc tempore verißimum videri poßit. Tantam enim, ſolertium ſcriptorum operâ, artes ſcientiæque iam inde ab ea, quæ Socratem conſecuta eſt, ætate initio facto, perfectionem adeptæ ſunt; tam eleganti certaque via & ratione traditæ; vt vix quidquam eis addi poße videatur, vix quidquam nunc dici, quod non priùs luculentiùs dictum ſit. Quocirca ſapienter ij mihi facere videntur, qui, quantumuis docti ſint, doctiorem ſe tamen antiquitatem fuiße agnoſcunt, atque ita non facilè in ijs tractandis, quæ ab alijs accuratiùs examinata ſunt, occupantur. Videtur enim quorundam paucorum tantùm munus quodammodo & cura eße, qui ſingulis ferme ſeculis aut etiam ætatibus ad hoc nati, ab ipſoq; rerum omnium parente excitati meritò dici poßunt, vt artibus ſcientijſque meliùs cognoſcendis ac percipiendis, aliquid ſubinde addant, easque magis magisque illuſtrent. Fit tamen, neſcio quo fato, vt, quò longiùs quis ab illorū paucorū, quos diximus, numero abeſt, eò ad ſcribendum ſit pronior, adque artes, & ſcientias tractandas & tradendas audacior. Inter quos ſi eum numerem, qui me ad hanc ſcriptionem ſuis ſcriptis coëgit, id me iniuriâ facere, nemo, arbitror, dixerit; ne is ipſe quidem; ſi modò aut reſcierit, aut animaduerterit, vix inueniri, qui ipſius ſcripta, quæ multa ſunt, legat, neminem eſſe, qui in illis eum operam ludere non dicat, neminem, qui illa emere, vel etiam vendere, ſuſtineat. Nec mirum. Quid enim aliud ſcribendo vnquam totâ vitâ egiße Lucenſis Simonius videtur, quàm, vt paradoxa quædam inueheret, veteres quoſdam errores renouaret, quiſquiliolas demum quaſdam obtruderet, quæ homine vel mediocriter in literis verſato indigna videri poßint? Quamuis hic potiùs Simonij aßiduæ ſcriptionis eſt ſcopus, hunc laborum ſuorum finem habet, vt quod re, artis quippe medicinæ ignarus, conſequi minimè poteſt, id verbis ſeſquipedalibus phaleratisque conſequatur; nempe vt ſua extollendo, & aliorum doctißimorum quorumque, ſiue inſtituta, ſiue etiam dogmata improbando, nomen ſibi gloriamque pariat. qua in re, neſcio, an iniuſtum magis, vel ineptum ſe præbeat, qui ex incommodis alterius, ſua vt comparet commoda, ſtudet. Porrò, quod cum doctißimis quibuſque hactenus fecit Simonius, id ſimulac, mea interceßione, ad Regium ſeruitium eſt adſcitus, mecum quoque facere aggreßus eſt; ſimultates nimirum ge

rere, carpere omnia, quæ à me dicebantur, sensim impugnare antiqua mea, pro Regiæ sanitatis cura & præseruatione, præcepta; suaque demum in Regis animum inserere paradoxa, nulla vnquam Domini sui ratione habita, dum ipsum suis prauis consiliis, interdum etiam illecebris, in morbum, & mortem deniq;, vt factum est, induceret. Neque potuit vnquam ipsius acerbitas vlla arte, vllo beneficio placari, ac ne tantillum quidem a proposito demoueri; quin potiùs in dies magis seuire in me verbis, reque ipsâ cœpit; donec tandem a Serenissimi Regis morte me scriptis compellare, & aperto Marte summâ iniuriâ prouocare est ausus. Sed pulchrè sanè, quòd malâ causâ innititur. Dicam ipsi, quod Gellio Catullus; quando nulla ratione placari patitur, neque ab ingenio desistere vult, hoc me fidere, quòd Simonij tela eius generis sunt, vt euitari facilè queant, nostra autem talia, quæ, ipsius viscera penetrando, summam eius nequitiam aperitura sint. Quanquam (Deum testor) non est hoc mei instituti, velle Simonium traducere, inque hominum inuidiam vocare; sed veritatem ipsam primùm, quam non philosophi modò, sed multò magis Christiani nominis cultores deserere non possunt; deinde verò etiam meam famam & existimationem ab istius inquinamentis & calumnijs vindicare. Quod dum facio, æquum mihi esse lectorem postulo, qui omnia, quæ dicturi sumus, sedulò rimari, immo etiam explorare velit, num ita, vt habent, a me scripta sint. Ego vicissim, quoad potero, enitar, vt à conuitijs, quæ lectoris animum non parum remorari solent, abstineam, & quàm maxima breuitate ac simplicitate potero, rem ipsam omnem, de qua disputatur, legentium oculis subijciam.

SIMONII EPISTOLA NVNCVPATORIA AD ILLVSTRISSIMVM DVCEM ALBERTVM RADZIVILVM.

DE sanitate ac vita (quantum quidem ad sanitatis custodiam pertinet) de ægritudine & morte Diui STEPHANI Polonorum Regis Magniq; Lithuaniæ Ducis, quæcunque non audiui modò, sed vidi, meisq; ipsis tractaui manibus, ea iussu & voluntate tua Illustrissime Generosissimeq; Princeps, (cui parere atque obsequi decuit ac necesse fuit) paucis hisce chartis, bona fide, rectiq; conscia mente, scitu necessariora exposuimus omnia. I.

RESPONSIO.

SPEGIOSVM satis titulum suo scripto præfixit Simonius. Hic verò ait, de sanitate, vita, ægritudine, morte, bona fide exposuisse se omnia, quæ scitu necessariora erant; cum tamen paucula tantùm de sanitate, ac vita, quod ad medicamenta attinet, Serenissimi Regis, post annum nempe illius quadragesimum, & ea pleraque falsa recenseat. Postremam porrò ægritudinem non solùm bona fide non describit, sed totam (vt post modum docebimus) ex suo capite fingit, atque eam, quæ fuit, prorsus negat.

Videtur igitur in principio huius Epistolæ Simonius inscriptionem suam retractare, seu potiùs emendare: nam non inquit, sanitatem, vitam, &c. se exponere, sed de sanitate, vita, &c. memor fortasse suæ in Squarcialupum reprehensionis. cum enim is libellum suum quendam, Ardorem cœli, inscripsisset, Comicam eam inscriptionem vocauit Simonius, atque Squarcialupum carpendi ansam cepit, qui Ardorem cœli potiùs, quàm De ardore cœli libelli sui titulum esse voluisset.

SIMONIVS.

Dolenda sanè tanti Regis tam subita & inopinata mors. Sed homo fuit. Atque is, ea corporatura, eaq; victus & vitæ totius conditione, vt ante biennium multis (qui id vltro passim iam dictitant atque testantur) prædixerim, verendum, ne non aliusmodi, Regi quidem vitæ, nobis verò ipsius Maiestatis seruis, tam diuturnæ ac diuitis spei finem, malignior dies aliquis improuisò faceret, II.

RESPONSIO.

Tam laudatæ temperaturæ fuit & tam bona victus totiusq; vitæ ratione vſus eſt Sereniſsimus Rex, id quod & omnes norunt, & ipſe quoque Simonius inferius fatetur, vt mirum omnino ſit, quomodo eius mortem, improuiſam præſertim, prædicere potuerit ante biennium. niſi quòd fortè Simonius, ſuæ ſibi in artis medicæ praxi imperitiæ conſcius, ac putans, eum, qui temperamento humidiore conſtaret, difficulter in eodem valetudinis ſtatu perſiſtere poſſe voluit multò ante prognoſtico ſuæ exiſtimationi, quæ ne ecclipſin pateretur, timebat, conſulere, atque ita ne in ipſum vlla ſuſpicio caderet, occurrere. Verùm quicquid prædixerit ipſe, Rex certè eo corporis habitu præditus erat, eam etiam ſibi vitæ rationem præſcripſerat, vt vel ad octogeſimum, & centeſimum quoque annum, non modò ad quinquageſimum quartum, quò peruenit, peruenturum ipſum, conſentaneum eſſet. Atque hoc maximè dolendum lugendumq;, eum in manus incidiſſe Simonij, qui ei dies ſuos decurtaret, & qui, vt clarius loquar, non ſolùm nihil habuit, quo ipſi laborare incipienti ſubueniret: ſed etiam conuenientia aliorum præſidia neglexit, & Regem ſuum in grauiſsimum morbum, ac demum in mortem ipſam perduxit.

SIMONIVS.

III. Illud tamen ſummopere lugendum: Regem, qui tantâ Maieſtatis gloriâ, honeſtatisq; ac iuſtitiæ laude vixerat, eo quo ſcimus modo, diem obiiſſe ſuum. Cuius rei culpa, in quem conferri iure debeat, ex fideli totius ægritudinis Regiæ decurſus narratione, vt intelligatur, Tu Illuſtriſsime Princeps pro tui officii munere, ac ſumma authoritate, voluiſti, & verò neceſſarium eſſe iudicaſti: quò maleuolorum ac improborum quoundam, qui Senatus proceres tum præſentes (a quibus noxia omnis procul fuit) tacitè ſugillatos ac negligentiæ alicuius ſuſpicione aſperſos per hominum atque exterorum etiam ora traducere poſſent, iniqua peruerſaq; opprimantur iudicia: & vnà Polonicæ ac Lithuanicæ Nobilitatis præclara exiſtimatio, quæ ſuam tot iam annis ac ſeculis, integram retinens atque inuiolatam libertatem, ſuos nihilominus vbique ac ſemper Principes & Reges, cum ſubiectiſsimâ veneratione animi fideliſsimè coluit, ac debitis omnibus pietatis officiis, continenter hactenus proſequuta eſt, omni labe ac illata forte ab inuidis macula liberetur.

RESPONSIO.

Cum Simonio Magni Ducatus Lithuaniæ Senatus, cuius nobiliſsimum membrum eſt Dux ALBERTVS *Radziuilus vetuerit, ne quidquam de Regis ægritudine ac morte conſcriberet, veriſimile non eſt, hæc Simonium eiuſdem Radziuili operâ vel mandato ſcripſiſſe: ſed magnis potiùs precibus ab optimo Principe extorſiſſe, vt ſibi ſub ipſius authoritate & vmbra, vt dicitur, hæc ſcribere mendacia, liceret, iuranti & obteſtanti Deum, vt ſui moris eſt, rem vt ſe habuit, narraturum. Videbatur enim hoc Simonio neceſſarium, & ideo potiſsimùm, quòd ſimulac Rex mortuus eſt, rumor emanauit, eum a Simonio veneno fuiſſe ſublatum: quòdq; præterea Grodnæ, poſtridie quàm mortuus eſſet, Vilnæq; paucis poſt diebus, cum vltro ante Senatores & aulæ proceres ſe ſiſteret, vt de crimine ac facinore hoc ſe excuſaret, non eſt illi permiſſum. Quis autem non animaduertat, hîc Simonium cauſas ſuæ ſcriptionis mendicare, vel potiùs confictas pro veris ſupponere? Cum enim in hoc commentario hoc vnum Simonius inſtituat ac moliatur, vt Regiæ mortis, cuius ipſe reus eſt, culpam a ſe in alium deriuet, ſuum tamen hoc inſtitutum alio prætextu velat, nititurq; perſuadere, ſe mandato tantùm Domini ſui hæc facere, vtq; Senatores illos ampliſsimos defendat, qui tamen, vt diligentiſsimè ſuum præſtitere officium, ſic nunquam ſunt negligentiæ inſimulati. Egregius, ſcilicet, Simonius, digniſsimusq;, qui Polonicæ ac Lithuanicæ nobilitatis exiſtimationem, qui virorum ampliſsimorum atq; omni exceptione maiorum famam et decus tueatur. Verùm, etſi hæc ita ponit, tamen in vniuerſo hoc ſuo ſcripto, præterquam in appendice, cuius rei accuſentur Magnifici Senatores, & quomodo eos ipſe excuſet, ac defendat, ne minimam quidem facit mentionem. Non eſt autem, quòd ſilentio prætereamus, Simonium ſibi manifeſtè contradicere: nam hîc promittit, ſe oſtenſurum, in quem Regiæ mortis culpa ſit conferenda: inferiùs autem in ſuis Paralipomenis, in neminem eam ſe transferre dicit, his verbis.* Nec eò tamen iſta nunc à me dicuntur, quia Regem iniquâ alicuius curatione ante diem fato ſuo functum adfirmare velim, ſed vt intelligatur ad Regis afflictationem hinc etiam acceſsiſſe infortunii aliquid, meq; adeò minus grauiter, tam acerbum optimi Regis vel noſtrum potius caſum fuiſſe accepturum, ſi doctior mihi collega contigiſſet aliquis. *Ex quibus verbis apparet, Simonium, ſuæ falſitatis conſcium, ſibi non conſtare.*

Hoc cum non præſtitiſſet, viſo Simonii ſcripto, Vilnæ vt imprimeretur, ipſemet Radziuilus Princeps non eſt paſſus.

Excuſatio non petita eſt manifeſta culpæ confeſsio.

SIMONIVS.

De cætero mendaciorum vindicem DEVM teſtor, me hoc ſcripto, &c. rem ipſam, vt habuit, veriſsimè, &c, narraſſe. I V.

RESPONSIO.

Repetit, quod antea dixerat, ſe bona fide omnia perſequutum, Deumq; in teſtimonium vocare non veretur, quò ſibi fidem conciliet, quando alijs teſtibus & argumentis penitus caret. Verùm nos in ipſum non rarò & euidentiſsima argumenta, & vbi res

& vbi res exiget, certißimos etiam testes producemus, vt ab vtro nostrum veritas stet, vtri'ue patrocinetur, liquidò apparere poßit.

SIMONIVS.

V. Et sanè præterquam quod scio, virum bonum nunquam decere de industria mentiri, nollem etiam in mendacio ibi deprehendi, vbi sunt per se clara & manifesta omnia: adeóq; vt etiam si ea cõfirmare testium confessione minus queam, quo quò tamen se duo illi viri boni, qui istorum omnium conscii, ad præuertenda hominum iudicia, deriuatóq; si quo tandem possint modo in alienum caput, hominum odio, se, omni culpa eximendos, in mei nominis dignitatem conspirarunt, nunc se torqueant: & quidquid iidem foris ea palàm inficiando quæ clam gesta sunt intus, ad publicam reprehensionem, vel grauiorem fortè aliquam animaduersionem declinandam effugiendamq; agant, comminiscanturúe, id astutè ac iniquè fuisse confictum, rei totius gestæ series ac ratio satis monstret: ipsiq; adeò Regii cubiculi parietes clament.

RESPONSIO.

Pergit fidem captare Simonius, ac tantis ambagibus tanto verborum fastu tumet, vt omnino nauseam moueat. Denique, vbique

Proijcit ampullas, & sesquipedalia verba.

Hoc autem vnum hìc curat, vt sibi absque testibus credatur, ideoq; suspectum conatur reddere meum & Veselini testimonium, ac tacitè vtrumque nostrum hìc taxat, & sui criminis reos facit. tacitè, inquã, quia veritatis conscius non ita apertè nos audet criminari. Vnde & monstrosam illam particulam addidit, Fortè. *Mirari autem quis poßit, quamobrem Simonius Veselinum virum non medicum huic negotio ingeßerit. Cuius rei causam eße puto, vel quòd Simonius ipsi otium, & pinguiorem fortunam inuideat, vel quòd ei, vt diximus, fidem adimere cogitet, ne pro me, immo pro ipsamet veritate, si requiratur, ferre poßit testimonium. Homo nimirum versutus, his artibus nos adoritur, his nobis cuniculis insidiatur, qui alioqui, cum maximè poßemus, ac iure quodammodo deberemus, ipsi nequaquam molesti eramus. cogitq; nos ea in suum caput, suiq; nominis infamiam euulgare, quæ, quominus hucusq; efferremus, nostra nos modestia ac summa in ipsum misericordia detinuit. Sed viderit sanè ipse, quò hæc ceßura sint, quando saxum hoc in suam perniciem mouere non dubitauit.*

SIMONIVS.

VI. Quanquam negare non ausim, eò me hac quidem in re libentius alacriusq; Illustrissimæ generositatis tuæ iussis obtemperasse, quòd eadem

quòd eadem opera cum defuncti Regis Illustrissimæ familiæ, quam isti bonæ scilicet conscientiæ homines, horrendi ac hæreditarii morbi macula onerare falsò, quàm ne propriam detegerent inscitiam, vel accusarent negligentiam, id quod res est, liberè dicere maluerunt: tum verò etiam, vt bonæ ac præclaræ (rumpantur licet Codrorum ilia) totq; iam laboribus ac studiis Medicis apud omnium prope nationum doctiores quosque homines per Dei gratiam partæ existimationi meæ, commodè honesteq; vnà iri consultum intelligerem: quam falsa duorum illorum quos antea significaui, huc illuc per Poloniam ac Lithuaniam patrocinium & fauorem procerum suppliciter (ne dicam aliud) ambiendo discurrentium, scriptitantiumq; narratione: imò verò iam cuiusdam Strabonis Itali, vilissimi atq; ignobilissimi Empirici barbara insulsaq; scriptione, à Bucella (tales hìc sibi deuotos vbique multos habet) dictata, (quod ipsemet Strabo palàm fatetur) & à multis visa lectaq;, violatam ac laceratam esse, multorum cum sermonibus tum literis docere possum.

RESPONSIO.

Vbique inculcat, iußu Illustrißimi Ducis se id feciße, quò meliùs monstrum, quod alit, tegat. cogitur tamen hìc (tantarum virium est veritas) fateri, id a se actum, vt existimationi suæ consuleret, quæ ipse, ne in Polonia quoq; collaberetur, ruinamq; daret, timebat, quemadmodum iam ante aliquot annos in Italia, Gallia, ac Germania dederat. Et habet, scilicet, vnde se iactet Simonius, si omnes istæ prouinciæ de ipsius fama consulantur. sed nolim sanè, vt me sua loquacitate, & iactantiâ in id certaminis genus pertraheret, quod et infrugiferum est, & ei, qui vincit, nullam gloriam, immo potiùs ignominiam adfert. De cætero, quos taxet ignoro. at me certè scio etiam interrogatum de re hac parciùs locutum, quàm par erat, quòd vel ex ipsius rei simplici narratione, quantùm Simonij famæ decederet, animaduerterem. Inseruit autem in impreßis exemplaribus ea verba: Cum defuncti Regis illustrissimę familię quam isti bonæ scilicet conscientiæ homines, horrendi ac hæreditarii morbi macula onerare falsò *etc. quæ in manu scriptis non habentur. quò maior est ipsius impudentia, qui, cum Regem in istum morbum suâ inscitiâ induxerit, nobis, quòd, eo morbo eum obijße, dicim⁹, vitio vertat; quasi vera loqui nefas sit, et quasi stupidi vilesq; potiùs, quàm magni, acriq; ingenio viri, hoc capi morbo soleant. Qua in re, si minùs astutè agit Simonius, artis certè, quam tractat, ignarus est, qui nesciat sapientißimos quosq; vt melancho-*

vt melancholiæ,ſic comitiali morbo obnoxios eßet. Heroum morbus communiter *appellatur,&* Herculem, *ac Cæſarum tum Chriſtianorum,tùm etiam* Turcacum *multos eo laboraße fertur.*

SIMONII SCRIPTVM.

COnſtare credo ſatis ex ipſo primo aſpectu, cuiq; artis medicinæ vel rudiori profeſsori potuit, felicißimæ memoriæ D.Stephanum primum Polonorum Regem,
VII. Dominum meum clementiſsimum,ea totius corporis natura,conſtitutioneq; ab ortu ipſo fuiſse,quam iſti temperamento calidiore, humidioreq; (laudato & ſalubri tamen illo) nobis definiuere.

RESPONSIO.

LOngum eßet omnes Simonij nugas examinare, neque id noſtri eſt inſtituti.Superſedebimus igitur horum verborum diligentiore examinatione ac trutina, licet euidentißimè conſtet, ipſum vera falſis miſcere, ne fucus deprehendatur. Placet *autem hoc loco omnia paucis perſtringere, quæ Simonius multis in toto hoc tractatu complexus eſt, & quaſi ideam omnium proponere,quæ a Simonio dicuntur, vt, auditâ totius morbi cauſâ,tametſi præpoſterè a Simonio inductâ,vnuſquiſque bardus licet & rudis in arte,quomodo ſe geßerit Simonius intelligere queat.Ante omnia igitur non ſibi conſtat Simonius de morbi nomine.*

Summa narrationis Simonianæ de morte Regis.

Simonii inconſtantia in morbi nomine.

Nam *cum nobis ambobus præſentibus, ſecunda vice, videlicet die nono* Decembris *(primâ enim, quæ fuit ſeptimo,nemo interfuit)* REX *paroxiſmo correptus cecidißet, conſenſit mecum Simonius, qui morbum eße* EPILEPSIAM *dixi,conuenitq; vt validum ei propinaretur pharmacum, quod a capite morbi fomitem traheret.* Paulò *poſt, morbo non ceßante, diuerſam a mea cœpit opinionem profiteri, morbumq; aſthma nuncupauit, & licet de concedendo vino ſtatim lites mouerit, mihi tamen, vt repeteretur idem pharmacum, aßenſit.* Nunc *demum, defuncto* Serenißimo Rege, *cum ex anatomica inſpectione pulmones nullo humore infarcti, nullo vitio infecti ſint deprehenſi, quò inſcitiam ſuam aliquo mendacio tegat Simonius, morbum non* Epilepſiam *amplius,non aſthma vocat:Sed Syncopen* Aſthmaticam *eße dicit,cui febris quæ lipyriam imitetur,ſit adiuncta.* Quoniam *autem duo ſunt in* Serenißimi Regis *morbo viſa ſymptomata,caſus primò, quo aliquamdiu, omni ſenſu motuq; voluntario deſtitutus,iacebat,deinde verò difficultas quædã inſpirandi,quæ ſubſequebatur, horum &*

tur, horum & morbi cauſam ita inducit. Nam, *cum Serenißimus* Rex,*paulò antequam corriperetur, venationibus multum in medijs ipſis hyemis frigoribus,indulſißet,fingit Simonius, a frigore vlceris fluxionem fuiße cohibitam, quæ deinde vnà cum ſanguine in venam cauam & arteriam magnam remeauerit,& cumulata circum præcordia, malignamq; qualitatem adepta, vaſis interceptis,in atrum craßumq; humorem concreuerit.* Hanc *fluxionem per periodos auctam incaluiße ac turſiße, vnde, tranſmißo in cor maligno halitu,animi defectio fieret.* Difficultatis *verò anhelitus cauſam fuiße dicit vaporem craßum,qui pulmonis arterias obſtrueret, & ſeptum tranſuerſum diſtenderet, hocq; eò faciliùs contigiße, quòd reſpirationis organa a frigore ſimiliter eßent læſa,et quòd* Rex *anguſtis venis & obæſo corporis habitu eßet.* Ecce,*quàm in anguſtum tuæ coguntur copiæ,Simoni. Sed iam perpendamus,quàm bene rebus ſuis conſulat bonus iſte.*

Morbi cauſa ſecundum Simoniū.

Examen prædictæ cauſæ.

Primò *enim nouo inauditoq; vocabulo morbum appellat, Syncopem nempe* Aſthmaticam,*& iure fortaße: nam & morbus,quem intelligit,eſt inauditus.*Deinde *fingit,Regem vlcus habuiße, quod nullum habuit;quòd ſi per vlcus cauterium intellexit, en tibi nihilo minùs figmentum:nunquam enim fluxio per cauterium,fuit prorſus cohibita,vt talem morbum inuehere poßet.* Adhæc *inter alia ſua figmenta,quibus totus iſte commentarius conſtat,adijcit,ab ea fluxione,& a ſanguine concreto vaſa,venam nimirum cauam,& arteriam magnam,fuiße oppleta atque intercepta.* Verùm *ſi ita eſt,quomodo non ſtatim mortuus eſt a principio Serenißimus* Rex, *nullo præſertim præſidio conueniente a Simonio adiutus? An fortè viuere diu poteſt animal,vaſis his obſtructis & interceptis;venâ, inquam,cauâ,a qua nutrimentum per vniuerſum corpus deriuatur,& arteriâ magnâ,per quam ad omnes corporis partes, vitales ſpiritus deducuntur ?* DyſpnϾ *cauſam ponit vaporem craßum, pulmonum arterias obſtruentem,quod eo modo,quo Simonius ſtatuit,eße non potuit;vt inferiùs fuſiùs dicetur. Sed eſto ſanè ita,vt ait;quis non videat, Simonium ſuo ipſius teſtimonio Regem necaße?nam ſi ita res habebat,nullum neceßarium magis ac præſentaneum aderat præſidium, quàm venam interiorem brachij ſecare : atqui Simonius, id me etiam proponente,fieri noluit.* Præterea *exhibendum fuiſſet aliquod refrigerans pharmacum,ad feruorem humoris turgentis circa præcordia contemperandum.Simonius autem non ſolùm nullum exhibuit;ſed etiam vult, ſe tum conſuluiße, in iuſculis apponenda fuiße, petroſelinum,caryophylla, crocum,roſmarinum,ſaluiam, melißophyllum, quæ omnia vim calefaciendi habent, & humores magis calidos reddendi.* Adhibendum *inſuper fuerat aliquod topicum medicamentum ad læſionem organorum reſpirationis corrigendam : potißimùm verò cordi occurrendum propter Syncopem; quorum nihil præſtitit* Simonius.

quinimmo die tertia morbi, et die quinta, incipientib. iam exiguis coctionis signis, cum ante morbus prorsus eßet crudus, vt extractum Ellebori, & maßa pilularum cocchiarum exhiberetur, consensit, quæ colocynthidem & scammonium recipit, medicamenta valde calefacientia, & cordi inimica. Et cum morbus ipse calidus per se satis eßet, ac febrim, lipyriam videlicet, vt ipse ait, adiunctam haberet, bonus Simonius tamen vinum semper dandum consuluit, ac dolet non semper fuiße datum. Videant nunc candidi lectores ex his, quæ summatim fidelißimeq; a nobis sunt recensita, quàm malis nobiscum artibus agat Simonius, & in artis ipsius medicæ praxi quàm imperitus sit, vtq;, dum se hoc scripto excusare, meq; accusare contendit, se tamen Regis ac domini sui interfectorem faciat. Sed nunc ad omnia sigillatim excutienda descendamus, Simoniumq; ipsum, suam fabulam narrantem, audiamus.

SIMONIVS.

IIX. In cibo, potu, ac voluptatibus ferme omnibus aliis, (vnum si excipias fructuum vsum, & venãdi studium, quod immaturam illi deinde attulit mortem) temperans: veritatis amans: acutus: sagax: ingeniosus: atq; omnino cum sentiendi, tum ratiocinandi vi præditus, vix non inculpata prorsus. Nullæ vnquam capitis, nullæ ventriculi, nullæ vllius internæ partis quadriennio toto, quo ipsius Maiestati à corporis cura, intimaq; consuetudine & quotidiano vsu addictissimus fui, imò verò & ante id tempus quoque, vt ex narratione multorum accepi, perrarò auditæ aliquæ querelæ: nulla vnquam vel visu vel tactu deprehensa, insignis aut etiam euidens natiua vel adscititia viscerum labes aliqua. Erat in summa Regis corpus, salubribus vocatis plurimum, & iis quæ laudata κατ᾽ ἕξιν sanitate quadam constant, adnumerandum.

RESPONSIO.

Horarij sanè fructus, quibus Rex plurimum delectabatur, in hunc affectum, nimirum in Comitialem morbum, Regem inducere vtcunque potuißent: facilè enim huiusmodi fructus, in robusto præsertim ventriculo, vt Galenus vbique paßim inculcat, corrumpuntur, corrupti deinde caput petunt ac replent. Sed causam morbi & mortis Regis Stephani adscribere nimijs venationibus non poßumus: cum enim vir militaris, magnanimus, & corpore optimè temperato, viribusq; robustißimis eßet, semper ab ineunte ætate venationibus se exercuit. Tantum verò ab est, vt ijs offenderetur, vt potiùs, si quando ab ijs abstineret diutius, grauißimum suæ valetudinis perciperet detrimentum. id quod nonnunquam accidit, quando comitia celebrabantur, idq; sæpe multis audientibus, conquestus est. nam non perinde atque antea,

que antea, appetebat, non somnum capere poterat, non vires corporis æquè robustas aut firmas habebat. Verùm, vt primùm venatum exibat, & appetentia, & somnus, & vires ipsi mirum in modum restituebantur. Non ergo venandi studium, vt Simonius ait, sed ipsius Simonij præpostera potißimùm consilia, Regi immaturam attulere mortem. Addit Regem, vi sentiendi atque ratiocinandi fuiße vix non prorsus inculpata. Qua in re cum omnibus in aperto sit, Regem exactißimo sensu atque ratiocinatione polluiße, nescio, quid in eo nunc desideret Simonius: nisi id sit, quòd Serenißimo Regi Simonicum suum litigiosum caput optauerit. Mirum autem non est, si, cum Rex acerrimo extiterit ingenio, epileptico morbo fuerit obnoxius. nam plurimi tales eo capiuntur, & multò ante captus fuißet, nisi theriaca, & purgationibus frequentibus, ac frictionibus eum præseruaßem. Occurrit autem hìc obiectio. [Obiectio ad id, quòd morbus fuerit Epilepsia.] *Cum enim hic morbus, vt plurimum, frigidam & humidam intemperiem consequatur, ingeniosi viri eo corripi tam facilè non deberent: nam ijs cerebrum siccius eße solet. Hanc obiectionem soluit Leonardus Iacchinus* [Solutio.] *in 9. Rhasis, dicens: Contingere hoc, quia tales neceßariò cerebrum habent imbecillum, non solùm temperamenti praui ratione, sed etiam compositionis:* [cap. 13.] *vt qui venas & arterias angustas habeant, & meatus per quos expurgatur cerebrum. Probabilis valde hæc est ratio. Nam, vt bene Victor Trincauellius olim præceptor meus notat: Excrementum cerebri in capite retentum Epilepsiam &* [lib. 3 Sect. 3. ca. 4.] *Apoplexiam facit. Aliam addit rationem Iacchinus: quia, nempe, cerebrum adeò sensile habent, vt a quauis causa multum patiantur. Idem dicit & Nicolaus Piso lib. de cogn. & curand. morbis: Talibus, inquiens, hoc accidere, ob tenuem cerebri substantiam valde sensilem, victus ratione vaporosam, flatus, vinum fumosum,* [lib. 1. cap. 19.] *& similia: quæ omnia in nostro Rege concurrebant.*

SIMONIVS.

IX. Balnei aluminatarum fortasse vel atramentosarum aquarum intempestiuo atque immoderato vsu, adstricta nimium cuti proindeq; thoracis partibus non nihil vnà læsis, impedita transpiratione (cum alioquin is esset cui de corpore plurimum continenter auferendum inerat) ac repulsis eo modo sursum versus in cerebrum causis, correpta iam olim fuerat Maiestas ipsius, dum adhuc in Transyluania viueret, soporoso quodam affectu: quem ego, quantum quidem ex morbi insultu, moribus, progressu, solutioneq; coniicere tunc poteram, dum vniuersam historiam mihi Rex ipse narraret (narrauit autem non semel sed pluries) ad Catochum, seu Catalepsin quandam, fuisse referendum duco.

RESPONSIO.

Sæpius quidem Rex narrauit de balneis illis, ex quibus tãtam cutis adstrictionem contraxit, vt sponte nunquam amplius sudauerit. Verùm de thoracis læsione nihil vnquam tale. Figmentum est Simonij: cui & illud annectit, ex ea occasione in Catochum seu Catalepsin incidisse, quod minime Rex narrauit: qui frequenter & in hoc Poloniæ Regno, & in Transyluania dixit, inculcauitq;, (vnde reperiri adhuc posse arbitror, qui audierint) ex vsu illarum aquarum incidisse se in grauedinem totius corporis, cum cibi inappetentia, molesta siti, internoq; calore. Sed, cum aliquando ex venatione rediens bis magnos frigidæ haustus hausisset, ea nocte, sequenteq; die solutâ aluo, non biliosa tantùm exeunte materia, sed puro quoq; sanguine absque dolore, liberatus pristinamq; adeptus est sanitatem. Post biennium deinde, in eam capitis affectionem incidit, quæ nec Catochus, nec Catalepsis, si Galenum consuluerimus, dici debet: tametsi ad eam Catalepsis speciem referri possit, quam Aëtius ex sanguinis confertim caput occupantis copia oriri notat. Etenim corporis animi'ue subita detentio, occupatio, vel congelatio vocanda non est: cum morbo licèt correptus, omnia intellexerit, recordatus fuerit, deambulauerit, loquiq; potuerit. quamuis enim ebrij instar pedibus titubans incederet, & præter rem loqueretur: loquebatur tamen, & deambulabat. Simonius, sibi rem aliter habuisse conscius, hunc, qui capitis morbus fuit, refert, quasi ab eo balnei vsu originem duxerit, quò eos, qui Regi cauterium procurarunt, carpere deinde possit. At veritas est, quemadmodum & Medici Transyluaniæ, & procerum illic multi sciunt, & Simonius a Rege ipso audiuit, Regem in Transyluania per aliquot annos erysipelatosam fluxionem passum fuisse circa malleolos sinistri cruris: quod crus temporis progressu deinceps exulcerari cœpit, vlcusculis valde paruis, minimeq; profundis, at dolorificis tamen. Cumq;, reluctante Excellentissimo Doctore Georgio Blandrata a quodam Chirurgo vlcuscula illa vehementissimis adstringentibus & repellentibus fuissent consolidata, post aliquot menses superuênit ei morbus iste, quem diximus: a quo Rex, tunc Princeps Transyluaniæ, larga sanguinis missione, cohibitaeq; materiæ ad pristinum locum deriuatione, diuturnaq; vini abstinentia, perfectè liberatus, ac pristinæ sanitati restitutus fuit.

SIMONIVS.

X. Hac potissimum re, loci illius Medici, suum scilicet sequuti cerebrum, illuc adducti sunt, vt præter alia à se administrata remedia, aperta infra genu dextrum cute, factoq; ignea vi emissario (cauterium vulgus appellat) id procurare atq; obtinere studuerint, vt repurgante sensim inde se natura ichorosorum illorum ac fluxilium recrementorum, quæ in tam magni, & quidem liberaliter sa

tis nutriti corporis œconomiæ dispensatione, quotidiana natiui caloris operâ plurima colligerentur, quod sursum reperet, minus esset: atq; omnino vt à superis ad infera fluxionis occasio reuelleretur omnis.

RESPONSIO.

Non suum, vt Simonius ait, secuti cerebrum, Medici illi id egere, sed Galeni dicto, & peritissimorum quorumq; medicorum audientes. Galenus enim in libello de hirudinibus & reuulsione, & quinto Meth. cap. 3. & alibi: humoribus sursum fluentibus, deorsum, & si ad sinistram vergant, ad dextram iubet reuocare. Quare, cum, semel curatis clausisq; vlcusculis, humor ille qui expurgari solebat, non sine graui malo, grauioreq; periculo vnà cum sanguine ad caput repserit, cumq;, apertis illis, nimio Rex infestaretur dolore, iure optimo fuit, & a me quidem, in altero crure emissarium apertum. Quo facto, mox deriuatâ ad dextrum crus materiâ, ab omni fuit molestia liberatus.

Curæ Regi, ante Simonium, adhibitæ ratio.

Cauterii Regi procurandi causa.

SIMONIVS.

Non repetam iam quod ipsi Regi multoties dixi, parum nempe in eo cautos prouidosq; fuisse, minusq; circumspectè illos egisse, qui nullo prorsus ad corporaturæ molem, nullo ad vitæ consuetudinem, nullo ad crurum imbecillitatem respectu habito, vulgarem Empiricamq; vitandi periculi rationem ac viam inierint eam, quæ, vt vt primâ fronte tuta videretur, Regem tamen in graue aliquod subitaneumq; incommodum maximè posset adducere: ac prudentiorum, rem ipsam acutius attentiusq; dispicientium iudicio, metus & periculi plena, nec non longo artis vsu, ægrorumq; obseruatione, ac operũ successu lubrica & fallax, iam pridem cognita deprehensaq; fuisset. XI.

RESPONSIO.

Non dubito, immo exploratum habeo, Simonium, vt se apud Regem alijs anteponeret, millies de me, & de doctissimis quibusq;, vt solet, malè locutum, nos incautos improuidosq; fingentem. At verò tum propter iam dicta incommoda, tum etiam propter hoc necessarium fuit cauterium istud, quòd naturâ & hæreditario quodam nexu fluxionibus Rex Stephanus esset obnoxius. Natus est enim patre podagrico, qui noua fluxione ad inguina exorta extinctus fuit. Matre, quæ ex Pleuritide mortua est. Et fratres præterea duos habuit, qui, antequam quinquagesimum suæ ætatis annum attingerent, podagrâ confecti, nouis superuenientibus fluxionibus, suum obiere diem. Ipse verò, circa 26. suæ ætatis annum, fluxionem post dextram aurem, quæ abscessum magnum, ad os iuguli vsque, peperit, passus est,

& aliquot annis dolorem per certas periodos circa dextrum hypocondrium, ac deinde Eryſipelata, modò in vno, modò in altero crure. Ac poſtremè poſt luxationem genu ſiniſtri, & poſt canis morſum in eodem crure circa malleolos confirmata erat fluxio Eryſipelas excitans. poſt verò vſum aluminatarum aquarum etiam exulcerabatur, multaq́; effluebat tenuis acriſq́; materia. quæ tandem cohibita, vt diximus, caput petijt. Vt ergo ab vlcerum moleſtia immunis redderetur, ac ne materia retenta caput peteret, cum ſubita fortè pernicie, præterea ne in articulos ſe inſinuans articularem morbum vel podagram excitaret, vel effuſa per corpus mali aliquid aliud inferret, conſultißimum fuit in dextro crure emißariū procurare, per quod ſuperfluis ſe natura exonerare poßet. Mirum ergo, quomodo Simonius non habitam rationem corporaturæ dicat, non ad vitæ conſuetudinem, non ad crurum imbecillitatem reſpectum habitum: cum Rex eâ fuerit corporaturâ, vt ſi etiam hæreditariè non fuißet fluxioni obnoxius, tamen ob denſitatem cutis, quòd nunquam ſudaret, & ob plenitudinem, quòd multis abundaret ſeroſitatibus, opus haberet emißario. Adde, quòd, etiam ſi tali non fuißet corporatura, tamen ob conſuetam iam victus vitæq́; rationem omnino id illi neceßarium erat.

Nam & optimum copioſumq́ue vinum bibere conſueuerat, & multos comedere fructus, & venationibus minùs ſe exercere, quàm tum, cum nondum Princeps eßet Tranſyluaniæ. Præterea, quòd iam ætas ingraueſceret, excrementis plus, quàm par eſt, corpus in dies magis onerabatur. Quòd ſi non ætas, non vitæ conſuetudo, non corporatura, non procliuis ipſius ad fluxionem natura, non deniq; alia, quæ impendebant, incommoda, perſuadere potuißent, vt emißarium illud fieret, certè cruris ſiniſtri reſpectus cogere poterat. Cum enim ob genu luxationem, & ob canis morſum, debilius factum eßet illud crus, in quod, vt in partem imbecilliorem, natura aßueuerat ſuperflua omnia tranſmittere, ad reuellendum deriuandumq́;, conſultum ac optimum fuit in altero crure dextro, quod firmius erat, excitare cauterium. Tutißima ergo non vulgaris & empirica ratio hæc fuit, quæ Regem a multis potuit incommodis præſeruare. & ab hoc poſtremo eum quoque præſeruaßet, niſi incuriâ Simonij morbificæ cauſæ vires additæ fuißent. quemadmodum inferiùs explicabimus.

SIMONIVS.

XII. Aliud ingredi ſecurius iter decuit, atq; aliunde felicius occurri morbificæ cauſæ potuit, vt periculo ſubtraheretur æger,

RESPONSIO.

Iactat ſe hic Simonius: ſed efferat quæſo, & proloquatur, ſi quid melius habet.

SIMONIVS.

XIII. Ergo dum moleſtus & naturæ grauis e viſceribus ac vaſis omnibus, in

bus,in

bus, in quibus ob inſitam occultamq́; Regis conſtitutionem (rarò quiſque quantumuis ſanus non aliquam corporis partem imbecilliorem habet) nec non familiarem viuendi rationem, quibuſdam, incertis tamen periodis temporum coagmentari exſuperareq́; ſolebat, concitatior atq; copioſior defluere, & quâ data porta confeſtim, natura propellente, ſuopteq́; impetu ruere incipit, nec ex anguſtiis tamen illis foras vniuerſus liberè poteſt erumpere ichoroſus & nonnunquam acrior humor: in ſubiectas vicinasq́; alias partes, per continua vaſa intercutaneosq́; cuniculos redundans, in dextra quidem coxa tumorem eryſipelatoſum identidem excitabat (a quo leuis & paucarum aliquot horarum febricula ſuſcitabatur.)

RESPONSIO.

Nec febrim, nec tumorem eryſipelatodē vllum identidem paßus eſt Rex. Quòd ſi ſubinde febricitaßet, quid ni diuulgatum & apud nos & apud exteras nationes fuißet? Tumorē verò eryſipelatoſum ſi habuißet in coxa, nequaquam latere potuißet. ſæpe enim claudicaßet, et, quominus equitaret impeditus fuißet, et id quidem complures obſeruaßent. Ego, cum decennium fuerim ſolus eius ſanitatis cuſtos medicus, ſcio ſemel tantùm idq́; tridui ſpatio, eum febre Cauſonide laboraße, claudicaße nunquam. Strenuè ergo mentitur Simonius.

Et ſpirat tragicum, & audaciter audet.

Sed præterquam quòd me, dum valetudinarium Regem facit, accuſare ſe putat, hoc etiam eò libentius facit, quòd culpam a ſe reijcere poße hac ratione ſperat, ſi tam derepente mortuus ſit, quia nempe multa in corpore vitia habuerit. Niſi id fortè ob ignorantiam artis facit, putans iam tale id eße, quod nondum eſt. Etenim, quamdiu erat apertum cauterium in crure, continuò fluebat ſeroſitas quædam, modò copioſior, modò parcior, interdum tenacior, interdum etiam liquidior, nōunquam acrior, nonunquam verò mitior: vt vbi luculenter cauteria operantur, accidere ſolet. Sic aliquando per incertas periodos copioſior & acrior eadem ſeroſitas fluens circa cauterij foramen, cutim leui rubore tingebat, atque eodem tempore nonnunquam in coxa etiam exanthemata nonnulla ſubrubra excitabat, nec doloroſa, nec moleſta. Rariùs adhuc contingebat, vt Rex, dum hæc moueretur materia, aliquid frigoris, momento tamen temporis, ſentiret, quaſi præludium quoddam futuræ febris, quæ tamen poſtea non ſubſequebatur. Et, cum hæc ita ſe habeant, exaggerat tamen Simonius omnia, quaſi tumorem Rex eryſipelatoſum ſemper aluerit, & quaſi febricitare ſemper cōſueuerit, quorum neutrum verum eſt.

SIMONIVS

SIMONIVS.

XIV. In tibiam verò cruris eiusdem procumbens, altius ibi ac penitius impactus, Scyrrhosum atq; elephantico appellato similem, cum dura, crassa, squamosaq; cuti, iampridem excitatum fouebat.

RESPONSIO.

Minima exaggerat de more Simonius, & audacter sanè falsa narrat: nullum enim Rex talem tumorem habuit. Sed Simonio fortè mentiendi occasionem dedit, quòd Rex dextrum crus, vt pote in quo cauterium gestabat, sinistro crassius aliquantò haberet: quemadmodum omnibus accidit.

SIMONIVS.

XV. Hinc totius dextri cruris grauitas, & motus tarditas, figendiq; pedis, ac sistendi gradus, quædam non obscura prorsus, quantumuis natura sua pudentissimus Rex aliud simularet, impotentia.

RESPONSIO.

Falsum & hoc (sed laboriosum fortè nimis fuerit, si omnia Simonij mendacia enumerare voluerimus) Firmissimum enim semper Rex habuit dextrum crus, nec de eius imbecillitate vnquam est conquestus. quod adeò verum est, vt huius sui mendacij oblitus Simonius, Regem hic inferiùs inducat asseuerantem, vnius se tantùm cruris imbecillitate laborare.

SIMONIVS.

XVI. Atq; huius etiam rei causa, iustæ totius corporis exercitationis, quæ plus quàm necessaria illi erat, sublata commoditas, & facultas omnis.

RESPONSIO.

Singulis ferme diebus venando se Rex exercebat, & de hac venandi assiduitate non semel ipsemet conqueritur Simonius. nunc verò sibi contradicens, sublatam omnem exercendi corporis commoditatem ait.

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

SIMONIVS.

XVII. Consilium (vt apud Comicum est) in causa mala bonum, satis & necessarium Nicolaus Bucella cepit (egerat hic antea in Italia merum Chirurgum: sed inde ante aliquot annos in Transyluaniam fugiens, ibi primùm elegantiorem alteram Medicinæ partem, quod apud eiusmodi gentem facilè cuiq;, se pro medico venditanti licet, profiteri ac tractare cepit) applicandi dico primùm apertæ cuti ceratum aliquod, &c.

RESPONSIO

RESPONSIO.

Hic verò non mendacem modò, sed etiam in me contumeliosum se præbet Simonius. Ego autem quemadmodum ipsius calumnijs non admodum moueor: sic non patiar, vt ipsi in mei nominis infamiam contra veritatem loqui liceat. Te igitur hîc tua bona vel nō bona pace compello Simoni, aioq; te falsa dicere. Nā ego in Italia, quēadmodum ex multis potuisti audire, alteram Medicinæ elegantiorem partem quoque exercui. Tuum est iam probare, quod asseruisti. &, si nimium fortè graue hoc tibi videtur, onus ecce probandi, quod tibi incumbit, sponsione tamen posita, ipse suscipiam: vt si contra id, quod hîc mihi impingis, non me purgauero, debeam tibi æris Polonici tria vel etiam quatuor millia florenorum. Sin autem testibus legitimis probauero, me in Italia Medicum quoque Physicum egisse, teq; ideo in me contumeliosum esse, tenearis tu vicissim tantundem pecuniæ mihi pendere. Tecum ita ago Simoni. quia, cum te pluris pecuniā facere, quàm tuos ipsos liberos, animaduerterim, pecuniæ opinor desiderio moueberis. Quòd ais me aufugisse ex Italia in Transyluaniam, miror, quamobrem hoc dicas. Scis enim, me, antequam discederem, honorifico stipendio à Serenissimo Rege nostro tum Principe Transyluaniæ vocatum, stipendio inquam annuo sexcentorum talerorum, vt habitationem sileam, quadrigas, & quotidianum pro me & vniuersa mea familia victum. En tibi, quomodo ex Italia aufugerim. & si mihi non credis, habes testes virum insignem Martinum Berzeuicæum, & præterea Magnificum Volfgangum Couacionium supremum Transyluaniæ Cancellarium, qui mihi tum in patria existenti à Principe literas attulit.

Bucella in Italia vtramque Medicinæ partem exercuit.

Bucella ex Italia non aufugit.

SIMONIVS.

In quo scalpendi dico munere, manè ac vespere (toties enim tergebatur nouoq; emplastro ac mundis plagulis tegebatur, magnū sanè illud vlcus) egregiè se Rex vnguibus exercebat &c. *Et paulò inferius.* Vt si quotidiana illa impuritatum copia (vnius dico diei tantum) per se ac seorsim pondere definienda fuisset, sextantem libræ & quadrantem plerunque, nonnunquam verò etiam trientem æquare potuisset. XIIX.

RESPONSIO.

Vbiq; omnia, licèt in sui Regis dedecus exaggerat: non enim tantum vlcus fuit, neq; tanta scalptura. Quantitas verò impuritatum vix vnquam in magnis fluxionibus ad vnciam perueniebat: atque vtinam peruenisset. nam quantò copiosior fluxio erat, tantò se magis eo onere leuabat natura.

SIMONIVS.

Hinc, refuso nempe aliunde acriore humidioreq; recremento, durior & ad- XIX.

rior & adstrictior aluus, vrina parcior, potuiq; minus respõdens: plerunq; verò, eodem quacunq; occasione restitante, ac in medio cursu subsistente, erysipelatosa coxæ inflammatio: aut etiam propulso interius, musculorum thoracis, et partium respirationi seruientium, molestia (cuiusmodi ante biennium Grodnæ sua Maiestas in media ipsa æstate aliquamdiu passa est) commoto deniq; ac per subcutaneas, & sentiẽtes patres subinde delato, vellicatis punctisq; musculis, nec non halitibus in cerebrum naturâ alioqui siccius eiectatis (vt graues easq; perpetuas curas mittam) breuis atque is leuis, & interruptus plerunq; somnus.

RESPONSIO.

Somnia vigilantium. Semper Rex citam habuit aluum: & ideo non multum per vrinam excernebatur: at quantum tamen sat esset. Nullam similiter ne minimam quidem musculorum thoracis, siue partium respirationi seruientium, molestiam vnquam sensit: præterquam in hac ægritudine, & semel ante biennium. Quòd si parum dormiebat, & leuissimè, nihil mirum. hoc enim communiter ijs accidit, qui acri perspicaciq; sunt ingenio præditi, quiq; grauibus occupationibus distinentur: & præsertim, vbi primum attingunt senium.

SIMONIVS.

XX. De cætero exhibebantur sæpe illius Maiestati Theriacæ scrupuli aliquot ex vino: nullo obseruato dierum vel temporum discrimine, nullaq; corporis præparatione aut euacuatione præmissa.

RESPONSIO.

Theriaca Regi qua ratione a Buccella exhibita.

Sanè aliquot scrupulos exhibebam: sed pondere fabæ Ægyptiæ, vel minus, ad drachmam, videlicet, vnam, non amplius: & quidem ex vino, quemadmodum ijs, qui inclinant ætate, dandam esse, præcipit Galenus: non æstate, aut quauis die, sed hyeme idq; manè semper ieiuno ventriculo: & obseruato etiam, quod præcedente die non cœnasset. Præparationem aut euacuationem præmittere non erat opus, cum Rex aluum laxam haberet, & cum optimum haberet ventriculum, visceraq; interna bene sana. Non defuerunt, qui nullo etiam obseruato dierum aut temporum discrimine Theriaca vsi sint: quemadmodum Galenus de Antonino pio Imperatore notat. Sed nos tamen vtrumq; obseruauimus. Verùm tu bone Simoni, non obseruato tempore neque adeò ætate puellæ Illustrissimi olim Domini tui, quæ vix sex dierum hebdomadas expleuerat, æstiuo tempore Theriacam ei exhibuisti: vnde exoluta, mortua est. Galenum sanè si adhibuisses in consilium, nunquam tam turpiter peccasses. Ipse einm lib. de Theriaca ad Pisonem hæc ipsissima verba habet. In pueris omnino vitandum id medicamen est, vt quod facilè corpora eorum

Simonii in theriaca puellæ exhibenda error.

ra eorum dissoluat. Memini siquidem aliquando puellum ex intempestiuo vsu antidoti, dissolutum fuisse. *Quare, si Galenus pueris prohibet dari Theriacam, quantò magis infantibus, & præsertim sex hebdomadarum, quibus nullum quantumvis leue, nedum tam potens medicamenti genus conuenit? Cum igitur miser iste hoc medicamento abusus sit, non pudet eum tamen aliorum probum vsum improbare, vbi præsertim effectus ipse eum redarguit. Vixit enim Rex sanus, quamdiu theriaca est vsus. & credibile est, si eam adhuc, vt antea, sumere consueuisset, in hunc postremum morbum casurum non fuisse. Theriaca enim, Mithridatum, & huiusmodi præseruant a morbo comitiali: quia corroborant caput, materiam superfluam resoluunt, & cerebri intemperiem emendant. immo nec in eum morbum, quem fingit Simonius illi præ frigore contigisse, facilè incidisset. Siquidem, vt inquit Galenus de Ther. ad Pis. cap. 16.* Theriaca optimum visceribus indumentum est, cum frigente per hyemem aëre quis iter suscipit. & excrementa moderate foras expellit, & quæ corpori superflua sunt membrorum omnium expirationi salubri ter excernit: superfluos humores absumit, &c.

SIMONIVS.

Vbi pigrior semel aluus parum... redderet, pruna duodecim circiter, decocto foliorum senæ imbuta: à quibus tamen, quòd iis sumptis imminutâ ad dies aliquot appetentiâ, cum cibi fastidio, ventriculus turbaretur, & irritis plerunque conatibus leuissimè solueretur venter, abhorrere admodum Rex cœperat. XXI.

RESPONSIO.

Non vbi pigrior esset aluus: sed vbi haud inani coniectura minus iusto ex cauterio fluere materiam animaduerterem, pruna exhibebam: ne eadem materia peccans caput peteret, vel aliam aliquam nobilem corporis partem. Nec, his sumptis, vlla inappetentia, vllum cibi fastidium sequebatur. nam Rex alioqui fuisset conquestus: quod, vel Simonio teste, non fecit. Ait enim hìc pagina prima Simonius, nullas quãdiu Regiæ Maiestati seruiuit, auditas fuisse de ventriculo querelas. Sed quid verbis opus est? plurimi in hoc Regno vsi sunt hoc facili medicamento ad soluendam aluum: & nulla tamen est subsecuta in appetentia aut ventriculi turbatio. Quin immo Simonius ipse suis ægrotis non semel id præscripsit, quemadmodũ ex libris Regij Pharmacopolæ videri potest. Nunquam etiam conatus irriti contingebant quin exploratum hoc erat, quòd, si 15. ita præparata pruna Rex acciperet, felicissimè soluebatur.

Cur, & quàm feliciter Buccella pruna cum sena Regi exhiberet.

SIMONIVS.

Fricabatur quoque indiscriminatim, hyeme, vere, autumno, æsta XXII.

 te, ferme

te, ferme quotidie vniuersum ipsius corpus, tam vespere à cœna quàm manè à somno duriter satis, linteolis etiam ad id admotis bene calentibus, ad ruborem vsque cutis, tumoremq́;.

RESPONSIO.

Frictionum adhibitarum ratio.

Non fricabatur vniuersum corpus, nisi, quando balneum aquæ dulcis ingrediebatur, & quando in eam malam corporis affectionem incidebat, in quam die solis 7. Decembris anni 1586. incidit: nempe quando spontanea lassitudine leuiter vlcerosa afficiebatur: quod non raro accidebat. Tunc ergo meo consilio incœnatus cubitum ibat, & quodcunq; anni tempus esset, calidissimis linteis fricabatur, non admodum duriter, non ad ruborem tumoremq́; cutis: sed leuiter ad sudorem, & dum partes quædam fricarentur, aliæ fouebantur interim, vt materia educeretur, quæ ob cutis densitatem facilè sæpeq́; colligebatur, ne, ea retenta, in periculosum aliquem incideret morbum. Atque vtinam postremo ita, me absente, fecisses Simoni: viueret fortassis clementissimus Rex noster.

SIMONIVS.

XXII. Atq; in hoc statu valetudo Regis fuit, hæcq́; illius gerebatur tum cura (Authore Bucella) cum ego, ex aula Cæsaris accersitus in Poloniam veni, ac non multò post in Regium cubiculum ad quotidianam sanitatis ipsius custodiam fui adhibitus. Vt primum autem Regem videre, audire, ac familiarius alloqui, deinde verò eiusdem corpus tractare manibus licuit, habitus ac temperamentum illius, viscerumq́; potissimum interiorum status, cuiusmodi esset, ante omnia mecum attentè considerans: exin obseruata diligenter, viuendi consuetudine: cognitis morbis quibus olim tentatus fuisset: circumspectèq́; animaduersis illis omnibus, quibus prætermissis, vix vnquam aliquid certò de præsente valetudine statuere, nunquam verò eiusdem curandæ iudicium rectè dirigere, atque confirmare possis.

RESPONSIO.

Cui quæso hîc non moueret risum Simonius? concludit ac si omnia perperam ante ipsum acta & suo aduentu optimè restituta essent. Sed verior erit conclusio, si verba Simonij ita corrigantur. In hoc nimirum statu optimo Regis valetudo fuit, hæcq́; illius securissima ac probatissima gerebatur cura, cum ego Simonius artis videlicet Medicæ imperitissimus, et aliorum quorumq; doctissimorum Medicorum contemptor, ex aula Cæsaris, vbi inuisus omnibus vitam satis tenuiter agebam, opera Buccellæ accersitus, in Poloniam veni, atque post annum demum (Rex enim me prorsus non curabat) in regium cubiculum, ad quotidianã regiæ sanitatis custodiam

Curæ regiæ a Simonio inconsultò facta mutatio.

custodiam eiusdem Buccellæ, & Veselini opera fui admissus. Vt primum autem Rex me videre atque audire potuit, omnia (sic enim sunt alia paucis perstringenda) infregi, quæcunque Buccella vel alij ante me præscripserant, Regemq́; in varia incommoda meis pessimis consilijs, in ægritudinem grauissimam tandem, & mortem conieci. An tibi hæc conclusio vera videtur? vtinam certè non vera esset. & te tamen non pudet omnia inuertere, immo peruertere, quasi sub tua meliùs, quàm sub mea custodia habuerit. Cum scias, me, dum per nouem annos ipsius curam solus gessi, eius sanitati ita prospexisse, vt nullum vnquam in morbum inciderit, præter quam in Synochum non putridam, idq́; semel tantùm, à qua tridui spatio fuit felicissimè liberatus: te autem ipsius curam gerente, illum claudicasse, febricitasse, (vt tu quidem dicis) in morbum grauissimũ incidisse, ac denique suum diem obijsse.

SIMONIVS.

Deniq; verò crure nudato, soluta deligatione, detectoq́; magno sane ac primo ipso aspectu horrendo cutis vlcere, cauterioq́;. XXIV.

RESPONSIO.

Falsum confictumq́; hoc est. Aliud enim vlcus, vt supra dictum fuit, præter cauterium quod latitudine vnguis erat, nequaquam Rex habuit. Sed Simonius multa fingere audet, ne cui mirum videatur, si Rex capite imbecillo, crure vtroque minus firmo, ac vniuerso corpore, tumoribus, cauterijs, vlceribusq́; scatente, mortuus sit. qua ratione culpam omnem, & culpæ suspicionem putat a se reijcere. Verùm, si quis rem hanc certiùs cognoscere desiderat, Veselinum, ac Lepscenium interroget, ostiarios Polonos, Aulæ dispensatorem, & Regium Pharmacopolam eiusq́; duos seruos, qui lotioni Regij cadaueris interfuerunt. & apparebit, præter nouum illud, quod supra genu, postremis ijs diebus labens, acceperat, nullum aliud in vniuerso Regis corpore vulnus aut vlcus visum fuisse, nisi antiquum paruum cauterij. Stigmata præterea cucurbitularum, quæ pridie, quàm moreretur, ipsi fuerunt appositæ, & circa cauterium quædam cutis immutatio seu labes, quæ non tam a sculptura, quàm ab vnguento, facta erat, conspiciebatur.

SIMONIVS.

Iussus à Rege, sententiam meam, audiente Bucella, dicere: exposita primùm origine, causaq́; fluxionis illius, liberè sanè atque ingenuè dixi: Malum illud propter adiuncta pericula, & recensita superius incommoda, Malum quidem esse, sed iam vtile, imò verò & necessarium, ferendumq́; patienter, vel etiam ad extremum vsque spiritum esse fouendum. Neque enim inueteratam fluxionem eiusmodi, & in habitum versam sistere, tutum: neque consuetam, & in quam facilè illa decumberet, promptèq́; propter loci imbe- XXV.

cillitatem reciperetur, præcludere viam, naturamq́; adeò ipſam, quæ ſuum illac onus deponere iam diu didiciſſet, dedocere facilè. Non irritandam tamen, ſed operam ſedulò dandam, vt qualiſcunque impuritas illa parcior accumularetur: atque omnino nimiæ fluxionis occaſio, commodiore aliqua victꝰ ratione ſenſim opprimeretur. Et alioquin qui integra valetudine conſeruari vult, eum ad labores quidem impigrum, ad cibos verò ſobrium ab Hippocrate deſiderari. Propterea demendum cibi & potus quantitati aliquid: cœnam quandoque vel prandium intermittendum: Fructibus quibus vndiq; diligentiſsimè conquiſitis & ex longinquis etiã regionibus comportatis aſſeruatisq́; (omnis dico generis vuarum, prunorum, ceraſiorum, perſicorum, pirorum, malorum, melopeponum, nucum auellanarum, & iuglandium recentium, tribulorum aquaticorum, caſtanearum) liberalius intemperantiusq́; quàm credi poſsit, a prandio ac cœna, toto ferme anni tempore veſcebatur. Braſsicâ item capitatâ, crudâ, tantumq́; ex muria (vt fit) conditâ: (illam comedere hanc ex cochleario pro aſſaturæ condimento ſorbere auidiùs conſueuerat) Raphano, qui ferè ſemper, & quidem largior poſt duorum trium'ue generum fructus, ſtatim ſumptus tam cœnam quàm prandium claudebat, & aliis quibuſdam, vel omnino abſtinendum, vel parciùs cautiusq́; aut ſaltem non præpoſterè vtendum. De cætero inſtituendam iuſtæ legitimæq́; exercitationis ſuo tempore obeundæ rationem aliquam, &c.

RESPONSIO.

Nec iuſſus eſt, nec me præſente vnquam tale quid dixit; ſed tantùm (ſic eſt ingenium hominis) à morte Regis hæc fingere, quaſi magnum inde nomen & commodum accepturus, auſus fuit. Et quis hæc neſciat? demendum cibi & potus quantitati, ieiunandum interdum, a fructibus abſtinendum, corpus exercendum. Nihil ſanè dictu facilius. At hæc a Rege obtinere non ita facile fuit. Non putabat, ſe multum comedere Rex, quando, etſi multum, non tamen præter conſuetudinem comedebat. Similiter ab eſu fructuum vix vnquam potuiſſet abſtinere, cum ijs tot ante annis aſſueuiſſet. Sed hæc & alia huiuſmodi de quibus Simonius, tanquam de maximi momenti rebus Regem ſe monuiſſe profitetur, quis non rideat, cum talia ſint, vt vel eos, qui nunquam Medicinæ nomen audierunt, latere non poſſint?

SIMONIVS.

XXVI. Ergo ſingulis nouiluniis, & nonnunquam crebrius, moleſtum vt antea eſſe

antea eſſe eryſipelas: atque vnâ nouæ fluxionis eò decumbentis acceſsione dextrum crus vniuerſum onerari grauiùs: eiuſdemq́; geminari tumorem: qui eouſque perſiſteret, dum recens illapſa humoris portio, ſponte vel molli adhibitâ frictione diſcuſſa euaneſceret: abdominis moles creſcere: moleſtia illa ſuperiorum thoracis partium, nunc mitior et lenior, aliàs durior ſubinde recurrere.

RESPONSIO.

Eryſipelas nunquam, ex quo in Poloniam venit, fluxio verò interminatis quidem circuitibus recurrebat; ſed ſine cruris grauedine, ac ſine vlla moleſtia præter pruritum. nec tumor vllus inſignis apparebat; ſed nonnulla tantum exanthemata rubra. Simonius porrò inducit quaſi tres diſtinctos affectus, Eryſipelas; nouam fluxionem, in crus dextrum decumbentem; & eiuſdem dextri cruris tumorem; cum nihil aliud quàm ſimplex fluxio eſſet, quæ tumorem minimum excitabat. Quòd de molli frictione ait, verum eſt. nam molli frictione leuis ille tumor diſcutiebatur. Sed huius rei oblitus, inferius, duris frictionibus Regem fricari iubere, me ſolitum eſſe dicit. Abdominis molem Regi, eius familiares teſtari poſſunt decreuiſſe potiùs, quàm creuiſſe, ab eo tempore, quo ex Tranſyluania in hoc regnum venit. Hoc tamen verum, ipſi in ſingulis bellicis expeditionibus plurimùm decreuiſſe; ſed mox vbi quietiorem vitam ageret, ad eandem magnitudinem ferè rediſſe. De partium thoracis moleſtia falſum dicit. nec quenquam in aula aut regno hoc inueniet, qui audierit Regem conqueſtum ea de re fuiſſe, ante annum 1586. quo anno ſemel tantũ idq́; culpâ Simonij conqueſtus eſt. Iam poſt hæc multis me ſcommatibus proſcindit Simonius. at ego (Deum teſtor) parum, aut nihil ipſius ineptias moror.

SIMONIVS.

Sequuta Grodnæ poſt annum circiter, ſubſiſtente denuo per aliquot dies è crure humoris effluuio, æſtiua ægritudo illa. Febris fuit remittens aliquando intermittens nunquam. cum ſiti moleſta. XXVII.

RESPONSIO.

Nulla fuit febris prorſus, & ex Regij pharmacopolæ Regiſtris (vt vocant) apparet, nihil tum contra febrim parari medicum iuſſiſſe. Non pudet Simonium tamen ea confingere, quæ, ſi vera eſſent, ipſum maximè arguere poſſent inſcitiæ.

SIMONIVS.

Dum conualeſceret Rex, cui iam ſoluentia pruna illa eſſent inuiſa, quærere ex me: inueniri'ne aliqua ratio poſſet, qua, vbi vrgeret neceſsitas, citra viſus, olfactus, guſtus offenſam, ac naturæ perturbationem, exiguâ potandi medicamenti copia, expeditè reſolui XXIIX.

poſſet,

poſſet, aluus. Reſpondi: iampridem excogitatam ab aliis, atq; inuentam infuſionem acriorum catharticorum ex aqua vitæ, adiunctis iis quæ malignitatem eorum retundant, atque vnà odoris gratiam addant: cuius drachma iulapii violacei aut roſacei vnciolæ admiſcenda, vix cochlearii noſtratis menſuram expleret: & gratus alioquin tamen oculis liquor, olfactui ſuauis, nulloq; prorſus horrendo ſapore palato infenſus, blandè ac leniter, cum duriora ventris recrementa, tum etiam è prioribus venis, ac viſceribus, obuiam quamque impuritatum colluuiem è corpore foras eximeret. Parari ſtatim eam iuſsit. Placuit ſemel experiri. vbi ſenſit ex voto rem ſucceſsiſſe, paucis poſt diebus, me etiam maximè refragante, potionem eandem, non minus quàm antea feliciter iterauit.

RESPONSIO.

Non quidem quòd Rex *aliquid tale peteret: ſed vltro* Simonius, *quò ſuam oſtentaret in arte peritiam acerrimi cathartici ex aqua vitæ infuſionem ei propoſuit. Quod cum audißem, ingredientibus illius diligenter reſcitis,* Regiam Maieſtatem *dehortatus ſum, ne ſumeret. id quod* Simonio *bilem mouit: quam ipſe tamen paulo poſt eiecit. Nam dum pharmacum laudaret, quò magis ſuam* Regi *fidem probaret, cochleare tantùm eius ſumpſit, ex quo adeò purgatus eſt, vt bilem omnem, & vix non animam reddiderit. Poſthac non eſt* Regi *neque idem, neque aliud, quòd ſciam, catharticum offerre auſus. Medicamentum hoc a quodam viro ſanè inſigni, qui eſt in* Epiſtolam D. Secretarij Chiakor *de regis obitu commentatus, deſcriptum eſt: & bene: hoc ſolo excepto, quòd colocynthidem* Scammonij *loco poſuit.*

Cathartici a Simonio Regi propoſiti reiectio.

SIMONIVS.

XXIX. Frictiones item illas matutinas à ſomno (plerunque tamen nullo) veſpertinasq; à cibo ſiccas, calidas, duras, rubefacientes, vt à capite, atque thorace deorſum reuellerent, nihilominus tamen, quia denſarent ac durarent magis magisq; cutem: habitum corporis, qui extenuandus videretur, ad ſummum vſque carne implerent: crudum etiamnum alimentum in venas, indeq; in viſcera, muſculos, cutim attraherent, maſſam humorum exagitarent, vniuerſamq; adeò naturæ Oeconomiam turbatam inuerterent, pluſquàm iniuſtum eſſe corporei exercitii ſuccedaneum: atq; ad oppugnandam ſuæ Maieſtatis, non autem tuendam ſanitatem, ab Empirico aliquo naturæ rerum ignaro ac rudi prorſus, contra omnium veterum, ne-

terum, neotericorumq; præcepta, & praxin, inſtitutum, ſubſtitutumq; videri.

RESPONSIO.

Poſt multas nugas, circa præcautionem Regiæ *valetudinis, præter rem iactanter ſatis prolatas, tandem ad frictiones impugnandas redit: cui rei, licèt ſuperiùs ſatisfactum a nobis videri queat, non grauabimur tamen & hìc aliquid addere. Neque enim me latet,* Aëtium, Paulum, Oribaſium, *& alios recentiores, &* Galenum, *a quo cæteri ſumpſerunt, nouem frictionum ſpecies ponere, quæ ex qualitate cum quantitate multiplicata reſultant: & ſingulæ peculiarem habent operationem.* Hippocrates *non omnes ſed vtiles tantùm proſecutus,* Dura *frictione, ligari:* molli, *ſolui:* multâ, *extenuari:* mediocri, *craßeſcere corpus pronuntiauit. Sed ipſæ frictiones, ex ſeipſis compoſitæ, alios producunt effectus.* Dura *enim & pauca, calefacit modicum, cutimq; denſat.* Dura *& mediocris, carnem ſolidam addit.* Dura *& longa, gracilitatem inducit cum denſitate.* Mollis *& breuis, vix aliquantum relaxat & calefacit.* Mollis *& mediocris, mollem carnem adauget.* Mollis *verò & multa, gracilem laxamq; reddit partem.* Iam *tres, quæ reliquæ ſunt, frictionis ſpecies, quos inducant effectus, facilè quiſque colligere poteſt.] Cum igitur* Rex *cutim denſißimam, & habitum corporis plethoricum haberet, frictiones inſtitueram ad cutim relaxandam, corpusq; extenuandum: & iubebam eum fricari manibus, in balneo, molliter & diu. extra balneum, ſiccis ijsq; mollibus linteis: vt, inquam, relaxata cute, quæ morbum minabatur, materia peccans euaporaret, & ſudoribus eliceretur.* Voluißem *equidem, vt & cum oleo relaxante fricaretur interdum. ſed ipſe non paßus eſt.* Verùm, *quoniam parum admodum ambulabat: nam vel in publicum prodiens equitabat, vel in ædibus,* Regijs *ijsq; multis occupationibus diſtentus, ſedebat: cœpit ſiniſtra tibia poſt* Vielicolucenſe *bellum euidenter extenuari: dextra verò emißarij cauſâ, cum illuc flueret materia, craßeſcere.* Vt *igitur vtrique proſpicerem, curabam tibiam ſiniſtram ſingulis diebus, quo carne impleretur conſeruareturq;, ſummo manè, & veſperi a cibo fricari, frictione dura & mediocri: dextram verò, molli & longa, non linteis, ſed calida blandaq; manu, vt materia illa, quæ ad emißarium copioſa fluxerat, exhalaret, cutisq; laxaretur.* Et *hæ ſunt frictiones omnes, quas, ſalua pace* Simonij, *ex veterum & neotericorum ſententia, vt* Regem *dominum meum incolumem ſeruarem, ab omnibusq; incommodis immunem redderem, ei adhibui atque præſcripſi.* Hæc *omnia bene nouit* Simonius, *& non ſemel ex me audiuit.* Verùm *vt apud eos, qui horum omnium ignari ſunt, aliorum præſidia contemnendo, ſuam cauſam iuuet, quæ modò audiuimus, mihi obijcit. quod dum facit, ſuam potiùs inſcitiam & impotentiam prodit, quàm vt mihi quidquam detrahat.*

Copioſior frictionum Regi adhibitarum ratio redditur.

SIMONIVS.

XXX. Eadem ferme ex Theriacę, non vſu, ſed craſſo nimium abuſu illo, expectanda mala. Romanos olim Principes quoſdam, & alios eius nationis homines, ad ſanitatis tutelam non niſi cibis vacuos, (quorum alioquin prandium, aut modicum, aut nullum, cœna vero ſimplicior & parcior quàm nobis erat) vel etiam proba per aliquot dies ante procurata coctione, atque alui cura diligenter habita, ſingulis vel diebus: vel menſibus ſemel, tantùm Theriacæ quantum Aegyptiæ fabæ magnitudinem impleret, ex aqua vel vino, aut etiam citra vllum liquorem ſumere conſueuiſſe: id quod à Galeno lib. de Theriaca ad Piſonem, atque altero ad Pamphilianum, nec non lib. priore de Antid. adnotatum fuiſſet: ſed Maieſtatem ſuam, vbi noctu minus quieuiſſet, vbi nondum confecto heſterno cibo grauaretur, vbi tribꝰ ab inde horis liberaliori menſæ deberet accumbere, Theriacam ex vino ſumere.

RESPONSIO.

Iterum de theriaca, quæ Regi exhibebatur,

Galenum citat, qui, quoſdam Romanos Principes ait Theriacâ, non niſi præmiſſa coctione, & alui euacuatione, vſos fuiſſe. Quaſi inde elicere velit Simonius vniuerſale præceptum, Theriacam non niſi priùs corpore a malis humoribus euacuato ſumi poſſe: cum a Galeno ideo potiſſimum laudetur Theriaca, quia prauos in corpore exiſtentes humores abſumit, malum corporis habitum corrigit, corpus demum ſic diſponit, vt valde difficulter, & non admodum malè, ab vlla re noxia per os ſumpta affici poſſit. Deinde ita loquitur Simonius, quaſi Rex ſæpius in die Theriacam ſumere conſueuiſſet. atqui vix ſemel aut bis ad ſummum in ſeptimana, & in hyeme tantum, in ipſis vehementiſſimis frigoribus eam ſumebat. Galenus autem primo de antidotis notat, Antoninum Pium Imperatorem ſingulis dieb. aliquid Theriacæ deglutiſſe. Falſum eſt autem, quod dicit, Regem tribus tantùm horis ante prandium eam ſumpſiſſe; nam quatuor ante horis ſemper ſumebat. Falſum pariter, quòd eam tum ſumpſerit, cum, nondum confecto heſterno cibo, grauabatur. Nam nunquam de mala digeſtione conqueſtus eſt: & præterea nunquam Theriaca vtebatur, niſi bene vacuo ventriculo.

SIMONIVS.

XXXI. Neque continuo vbi firmetur aluus, aut ventriculus nonnihil langueat, ad cathartica, etiam leuiora illa, confugiendum: quorum vſus, cum maior tantum ingruit neceſſitas quædam, isq́; longo temporis interuallo, vel etiam tum demum, cum partis alicuius euidens malum inde oboritur, aut obortum increſcit, ſit admittendus.

RESPONSIO.

RESPONSIO.

Nunquam Regi firmabatur aluus, & hoc quoque a veritate compulſus alibi ipſe fatetur Simonius, vt pote in ſua ad Epiſtolam D. Chiakor apologia his verbis; Priorem illam noctis partem, quemadmodum aliâs ita tunc inſomnem Rex duxerat, qui eadem ferme hora, eiuſdem neceſſitatis cauſa alui nimirum exonerandæ è lecto ſurgere ſingulis prope noctibus conſueuerat. *Cōtradicit pariter ſibi de ventriculo loquens; nam in huius ſcripti initio adeò robuſto ventriculo præditum eſſe Regem affirmauit, vt nunquam imbecillitatis ventriculi auditæ ab eo ſint querelæ. De cathartico ſimiliter a nobis ſæpe exhibito malè me carpit, nec bene videtur meam mentem aſſecutus. non enim quia adſtricta Rex eſſet aluo, pruna ei a me exhibebantur; ſed ideo quia cauterij fluxio cohibita videretur.*

SIMONIVS.

His atq; aliis multis in eandem ſententiam à me prolatis, permota ipſius Maieſtas, omnino ſecum conſtituit, repudiata priore empirica illa cuſtodiendæ ſanitatis ratione, meliorem aliam ac tutiorem deinceps amplexari, excolereq́;: inprimis verò tertia cibi ac potus ordinarii parte reſecta, prandere parcius, & nonnunquā ex toto cœnam omittere. XXXII.

RESPONSIO.

De imminuto Regio cibo.

Præter imminutionem cibi dicat Simonius, an quid in Regia cura mutatum ſit in melius, & an id ſatis fuerit. Verùm (ſi quidem rem omnem audire placet) ita res ſe habet. Regi, ex quo Simonij artibꝰ deluſus ab vſu Theriacæ ac prunorum abſtinere cœpit: (vir enim militaris naturâ abhorrebat ab omnibus medicamentis) a me (neſcio, an a Simonio quoque) ſuaſum fuit, vt parciore ſaltem victu vteretur, ne tot gignerentur in corpore ſuperfluitates. id quod & Rex ipſe fecit; ſed non tamen adeò ſibi temperare potuit, quin inciderit in morbum, ex quo non euaſit. Hoc autem ipſe præuidens, quòd Regem ad priſtinam meam viuendi rationem redigere non poſſe me animaduerterem, egi ſtatim cum Illuſtriſſimo Regni Poloniæ Cancellario, cum Reuerendiſſimo Epiſcopo Premiſlienſi, & alijs, immo cum Rege ipſo, vt tertius adſciſceretur Medicus. Sperabam enim, vt, eo mecum conſentiente, Rex Simonij aſtus, illuſiones, præſtigias agnoſceret. Verùm, dum hæc tractarentur, fatalis nos dies anteuertit; quæ ſicuti a Simonio primùm occaſionem nacta fuerat, ſic demum ab ipſo ſtrenuè adiuta, Sereniſſimum Regem noſtrum, grauiſſimo totius orbis Chriſtiani diſpendio, nobis abſtulit.

Tertium Medicum Regi adhiberi cupiebat Buccella: & cur.

SIMONIVS.

Imò verò quoties ex aliquo ſermone, in recordationem ſalubris XXXIII.

illius status incideret, interna quasi voluptate quadam gestientem audientibus omnibus, quotquot tum fortè aderant, multoties clarissima voce dixisse, se, iam, nisi cruris vnius imbecillitas esset, nõ videre, qua parte corporis meliùs olim iuuenis, quàm nunc senex valeret. Constabat appetentia: coctio felix: non fusa quidem, sed nec firmata tamen aluus: nocturna quies placidior: erysipelas ferè nullum vnquam, aut rarò aliquod & id exiguum visum, ingressus liberior: extenuata nonnihil cum vniuerso corporis habitu moles abdominis: integer omnium membrorum vigor, atque ad labores omnes faciliùs quàm antea sustinendos habilior: continua, & copiosa satis fluxio cruris: in summa nullæ vsquam querelæ.

RESPONSIO.

Ne vnus quidem ex aulicis erit, qui id confirmet, quod audacter nimis hîc narrat Simonius, immo contrarium omnes affirmabunt. Regem nimirum conquestum esse, ex quo Simonius in aula erat, se longè minus dormire, quàm antea, & minùs appetere. Et facies ipsa declarabat, eum non ita bona valetudine frui, vt fruebatur ante. Sed iam de postrema Regis ægritudine Simonium disserentem audiamus.

Occasio postremæ ægritudinis Regiæ.

SIMONIVS.

XXXIV. CVM Grodnæ Lithuanorum esset sua Maiestas anno 1586. accidit vt sub ipsum brumale solstitium, id est a 25. Nouembr. ad 7. & 8. vsque Decembris diem, iuxta reformatum Calendarium, tanta ac tam acuta frigoris vis improuisò ingruerit, vt vel iis etiam qui sub rigidiore aspe rioreq; illo cælo nati atque educati sunt, esset intolerabilis. Nubilus perpetuo fuit obscurusq; ac tempestuosus aer, mira eaq; subita ventorum mutatio. Flauit aliquamdiu primùm ab hyemali solstitio Argestes: inde validior Circius: a quo prægelida, eaq; densa sed minuta tamen nix, vel potius niuosa grando. Paulo post Aquilo. Neque tanto tamen ac tam horrido & repentino cæli rigore territus Rex, singulis dieb9 mane summo, & mox a prandio, in medios & patentes campos, munito nihilo melius quàm anteà corpore, id est sericeâ, eaq; simplicissima talari tunica (su-

pra quam Vngarica quidem penula sebellinis subducta pellibus assumebatur, sed quę latior nec adstricta contracta'ue ad tunicam, imò verò longè ab ea latiusq; diffusa, minus fouere corpus posset) æstiuisq; femoralibus, ac tibialibus: capite tantum non nudato, pileolo nimirum Vngarico, aut leuissima mitella tecto: pedibus cothurno, & simplici coriaceo socco fultis, de cætero nudis, ad lepores insectandos prodire: quo tamen tempore, reliqui tantam ac tam subitaneam hyemem vix duplicibus ac bene etiam subductis vestibus sustinere, non nisi autem calentibus hypocaustis inclusi arcere poterant. Vidimus tum aliquoties è campo, redeuntem ipsius Maiestatem, vsque adeò pedibus, dorso, totoq; obriguisse corpore, vt ad luculentum etiam ignem, longâ mora ægrè refocillari potuerit. Hinc parcior inprimis fluxio, & cruris exulceratio siccior: adstrictoq; pectore, quæ pars ossea & cartilaginea est, spiratio subinde impeditior. Accidit autem singulariter, vt die secundo Decembris, qui vento, niue, frigore, asperrimus fuit, ad aprorum venationem in Conginensem syluam exire decreuerit. Exiit ante ortum solis. Conginum (distat prædium hoc Grodna, iustis quinque Lithuanicis milliaribus) non prius venit, &c. Substitit eo die in totum fluxio, quę ante aliquot dies parcior esse cœperat. Impendens ex ea re periculum, qui tum ipsius Maiestatem sequebar indicaui, ostendiq; malum illud ex externi frigoris occasione, non aliunde natum. Respõdit Rex, nolle se includi cauea, &c. Sequente igitur die, qui tertius Decembris fuit, manè, sesqui horâ prope ante solis ortum, cum maxima parte aulæ in syluam prodit, &c. Eò cum venisset, &c. integrum diem consumpsit. Rediit Conginum secunda prope noctis horâ: vespertinum scilicet matutinumq; aerem perinde atque meridianum cauere solitus. Vbi primùm venit, dimissis reliquis me vnum ad se accersiri iubet. Accurro. Indicat sibi inter redeundum, accidisse insolens aliquid. Nullo (inquit) labore fatigatus, sedendo ferè semper & nõnunquam stando, venatus sum hodie Apros: in reditu tamen dum carpento quietè satis ac placidè, nullaq; cũ succussatione corporis vehor, sentio me, subita illa quidem ac graui: sed non tamen vltra semiquadrantem horæ molesta thoracis oppressione quadam, ac spirandi difficultate correptum.

Idem pro mei muneris officio intrepidè repetii, quod inculcaueram antea. Malum illud omne, ab intempestiuis, inordinatisq; venationibus, contracta densataq; appulsu frigoris cute, læsis thoracis partibus, constrictis venarum oscillis, cohibita & compulsa intrò fluxione, quæ per vlcus quotidiè expurgari consueuerat nasci, &c. Ex pulsu, cognitum subesse febriculam, igitur administrata manibus longa satis ac mollis totius corporis à scapulis ad pedes frictio: intereaq; temporis, applicata subinde thoraci, diplomata linea bene calentia : & eadem arte, partes extremæ calefactæ, nec non spina dorsi embregmate ex tepefacto vino lauendulato conspersa, & mox blandè appresßis crebrò manibus fota. Cœna parcißsima & prope nulla, Nox inde quieta. Sequente manè iterata remedia eadem, quo etiam redire Grodnam Rex constituit. Eo die qui prædicti mensis fuit quartus, cœli rabies, & frigoris vis, atrocius ferme quàm antea sæuiit: verum oblita nihilominus ipsius Maiestas pridiani periculi, totum iter imò verò & diem, venando consumpsit. Vespere vbi rediisset, eadem quę præcedente die vsurpata præsidia. Longiore semper tamen durioreq; frictione integrum crus dextrum, manè vespereq; exercebatur.

RESPONSIO.

Occasio postremi Regii morbi.

Cum præcipua occasio morbi Serenißimi Regis nostri purgationum consuetarum fuerit intermißio, quas (vt diximus) Simonius dißuaserat, cum Regi ad sanitatem ipsius præseruandam a me præscriptas sciret: nunc in hoc vnum omnibus neruis imcumbit, vt se ab omni culpæ suspicione exoluat. Ait igitur, intensißimum frigus tum fuiße in Lithuania, & Serenißimum Regem indiscriminatim venatum semper exijße, serica veste indutum, æstiuis femoralibus ac tibialibus, & pileolo Vngarico. Vnde, ob ingens frigus, & spiratio impeditior eße cœperit, & parcior exin fluxio; quæ tandem prorsus substiterit. ex qua re periculum animaduertens Simonius, Regi, ne domo egrederetur, consuluit: Rex autem obtemperare nolens, iterum exiuit, & totam diem in expectandis apris, quos sclopeto feriret, contriuit. Hinc spirandi iterum difficultate correptus fuit, & febricula laborauit, a qua eum Simonius illico liberauit. Liberatus, diem, quæ proximè insecuta est, licèt magis magisq; frigora vrgerent, venando insumpsit, vnde eadem, quæ antea, præsidia vsurpauit Simonius.

Refutatio occasionis a Simonio inductæ.

Et hæc omnia cum vsque ad diem Veneris quæ fuit quinta Decembris, acta eßent, ego tamen nihil prorsus resciui; cum, inquam, Rex toties ægrè haberet, nunquam tamen me commonefecit, immo mihi petenti cõcessit, vt ad

cessit, vt ad mea bona discederem, vbi paruulus sororis meæ nepos ægrotus iacebat; & cum redijßem, suiq; morbi mihi historiam ipse narraret, horum ne verbum quidem fecit. Quis igitur tibi hæc credet Simoni? Sed video, te nihil curare, nihil pensi habere, dum omnia, quantumuis falsa, ingeras & intrudas, quæ in rem tuam eße videntur. Nec interim te pudet, Regem tuum leuitatis insimulare, qui in Lithuania, & in frigoribus ipsis intentißimis, ijsdem, Diogenis instar, vteretur vestibus, æstate atque hyeme. Non pudet, ea, dicere, se vsurpaße remedia, vt potè frictiones, quæ antea impugnasti. Non pudet, te ea prætermisiße remedia, quæ, si tam ingentia frigora fuerunt, qualia tu narras, maximè opportuna fuißent, vt potè vsum theriacæ. Non pudet demum, neque tui, neque aliorum.

SIMONIVS.

Die quinta prædicti mensis, qui fuit Veneris, parcius propter XXXV.
vsum piscium Rex pransus: nihilo tamen minus post meridiem,
dum cum suis familiariter loquitur, leui quodam illius oppreßionis insultu, qui mox cessauit, se prehensum sentit. Die sabbathi qui fuit sextus, proposui adstrictiore præsertim aluo, leuioris alicuius cathartici vsum: ad subtrahendam impuritatem, quæcunq; demum latere in priore illa corporis regione posset. Recusauit.

RESPONSIO.

Astutè inducit Simonius sæpe Regem difficultate anhelitus correptum, ne tum, quando reuera ea correptus est, culpa ipsius factum, sed potiùs a primis illis frigoribus, hoc Symptoma profectum fuiße, videatur. Sed dicat sanè, si quos testes habet, qui'nam fuerunt illi sui, cum quibus Rex loquebatur. Credibile est sanè, ipsos vel a Rege audiße, vel saltem deprehendiße, quando fuit ea spirandi difficultate correptus. De cathartico quod refert, similiter, meo iudicio, vanum est. Nam scio, Regem, cum nec aluum haberet adstrictam, nec fluxionem ex cauterio suppreßam, sed tantùm per aliquot dies imminutam, nec thoracis oppreßionem sentiret, leui tamen cathartico eße vsum. & nunc, adstricta aluo, fluxione ab aliquot diebus admodum suppreßa, & per plures dies ante imminuta, aliquoties præterea asthmatico insultu correptus, recusaßet Rex lene catharticum sumere? Haud verisimilia narras Simoni. Nemo tibi crederet, etiamsi mille Deos testatus eßes.

Principium morbi: die Dominico 7. Decembris.

SIMONIVS.

Die Dominico, sedulò Maiestatem suam monui, ne in templum XXXVI.
equitaret, quod longiùs id ab arce distaret: nec multo, quàm antea, mitior aëris constitutio esset: posse in arce concionem audire

sacroq;

ſacroq; intereſſe, quemadmodum quoque aliis profeſtis diebus conſueuiſſet. Equitauit tamen. A ſacro vbiprimum rediiſſet, vt nonnihil ab aulicorum ſtrepitu, interpellationibusq; reſpiraret, in ſuum cubiculum ſeceſsit. Ibi recurrit malum: quod modico etiam temporis interuallo ſponte receſsit. Sequutum tenue prandium. Cœna quoque præter tantillum panis vino inſuccati, perſicorum pulpæ fruſtum ſaccharo conditum, (perſicatam Itali vocant) & pruna paſſa Damaſcena tria (quas Italiæ delitias Neapoli ac Genua ſibi curari iuſſerat) nulla prorſus. Vbi aliquandiu mecum vt in more habuit, de variis rebus collocuta eſſet, ipſius Maieſtas, muſtaq; aliquot ex Vngaria recens allata, & leuiter à ſe prius deguſtata mihi ebibenda ex Chryſtallino cyatho manu propria benigniſsimè porrexiſſet, contulit ſe in lectum, hora nona pomeridiana, id eſt quarta noctis iam audita, præſenti ſatis animo, lætoq; vultu. Diſceſſerat iam ante dies aliquot ex aula, ad prædii ſui res curandas Bucella.

RESPONSIO.

Ventum eſt ad rem, in qua Simonius audacter, vt antea, multa confingit. Et, quia ſolus tum intererat & præerat Regiæ curæ (ego enim aberam, rus profectus, non ad res meas curandas, vt Simonius infert, qui enim linguam non habeo cum gente hac communem, res meas per alium tracto; ſed ad puerulum ſororis meæ nepotem, vt ante dictum eſt, ægrotum curandum) putat, non auſurum quemquam ſibi contradicere. Verùm, licèt & hîc, & ſæpe alibi in hac diſputatione in ijs verſemur, quæ ita euidenter probari non poßunt; tamen non deſunt vbiq; coniecturæ multæ & rationes probabiles, quibus, ſi meliores non adducantur, acquieſcere debemus; præterquam quòd cum Simonio nobis res eſt, quem norunt omnes mendacijs plurimùm delectari. Nos autem non dubitamus, in his, quæ aliter ſe habere ſcimus, quàm narret Simonius, illud vel ſatis futurum, ſi Romani illius ciuis in morem, cuiuſcunq; iudicio nos ſubijcientes, dixerimus, cum Simonius ita dicat, nos negare. Quod certè hîc potißimùm nobis vſu venit. narrat enim ea Simonius quibus non interfuimus; ſed minimè vera ea eße exiſtimamus, quia Rex alioqui eorum nobis mentionem feciſſet. Ait, Regem, præmonitum à ſe ne in templum equitaret, non paruiße. Credibile eſt ergo, Regem non admodum malè habuiße. Deinde fingit, eum à ſacro, aſthmate laboraße: nemo tamen vidit; nemo audiuit; nemo mihi id retulit, præter Simonium, idq; in hoc ſcripto primùm. Pergit deinde, Regem perſicorum pulpam ſacharo conditam, & pruna Damaſcena comediße; quod planè falſum eße reor. nam Rex à dulcibus admodum abhorrebat; nec vnquam viſus

quàm viſus fuit talia comedere, & ea in aliorum potiùs gratiam procurabat, quàm quòd ipſe ijs delectaretur. De muſtis etiam quod narrat, falſum eſt; nam nõ muſti, ſed generoſi vini, vnicus cantharus fuit Regi à domino Andrea Choruat eâ veſperâ datus, et à domino Stephano Lepſcenio allatus; id quod vterque iam teſtatus eſt, & iterum teſtabitur, immo id ipſe quoque Simonius fatetur in ſuo altero, contra Secretarium Chiakor, edito ſcripto.

SIMONIVS.

Sub finem primi ſomni, id eſt horâ circiter ſeptimâ noctis, quę XXXVII.
ſecundum medium horologium 12. eſt, pulſari magna vi fores, meq; ad Regem ſubitò acciri audio. Nulla interiecta mora, feſtinanter ſurgo, ſoloq; induſio & ſubducta ex pelle toga tectus, in arcem aduolo. Inuenio Regem, in lecto ſedentem, crure vtroque recto, & gena dextra, quam μῆλον Græci à mali ſimilitudine vocant, ſummaq; fronte qua capillorum radix eſt, lacerata cute, non nihil colliſa; facie decolori: vultu quod facilè dignoſci potuit, nouitate caſus attonito. Atque ego quoque primo ipſo inopinatæ rei aſpectu, animo conſternatus, vix non obmutui, &c. Detecto dextro crure diſciſſum vulnus inſpicio, paulò ſupra genu, qua pars muſculoſa eminet, cruentum, obliquum, ſeptem circiter digitis longum, in carnem vſque tantùm penetrans, ex incurſione, vt deinde cognoui, violenta contuſum, alioquin ſimplex. Effluxerat inde, magna ſanguinis copia: qua ſubligaria linea, lodix, & quicquid ibi erat, longè lateq; madebant. Recognoſco vulnus, &c. Audio rem ad hunc habuiſſe modum. In ipſo primo ſomno expergefactus Rex ſurrexerat, vt in conclaue penitius, indeq; in ſecretiorem ac priuatum locum ad requiſita naturæ ſecederet. Inter redeundum, ſenſit primum ſibi quaſi exolui corpus, ac deficere animum. Itaque dum ad lectum accelerato greſſu feſtinat, ac prope oſtium cubiculi venit, præcipiti virium lapſu, alliſa ad proximum parietem, quo ne caderet inniti voluit, facie, atque venâ ex violenta incurſione dextri genu, in acutiorem ſcamni, quod obuium fuit, angulum, accepto uulnere, in pauimento concidit. Audito ſtrepitu accurrit Lepſcenius, qui Regem dum rediret in cubiculo expectabat. Exanguem ac ſemianimem voce excitat: iacentem, atque ad ſe paulatim redeuntem, apprehenſum, vix tandem (non enim pręſto aderat alter, qui auxiliares manus ad exolutum corpus erigendum vnà porrigeret, humerumq; ad baiulan-

dum subiiceret: ipse verò Lepscenius vnus tanto oneri sustinendo
viribus impar erat) magno adhibito conatu subleuat tandem,
in cubiculum reducit, lectoq; imponit. His auditis, &c. Tactu
pulsus deprehensa febricula.

RESPONSIO.

Longum & molestum eßet omnibus mendacijs (sunt enim innumera) sigillatim
respondere; sed quia ex veritate mendacium facilè agnoscitur, (nam, vt Aristote-
les ait, Rectum sui ipsius iudex est, & obliqui) *rem ipsam, vt, præsente vtroque* [3. de Anima.]
intimo cubiculario, ex ore Regis ipsi audiuimus, narrabimus. quæ ita se habuit.

Veritas actorum diei Solis.

Nocte, quæ diem solis præceßit, parum dormiuit Rex Serenißimus, cumq; ma-
nè surgeret, sensit se correptum spontanea laßitudine; qua sæpe infestabatur, ni-
mirum, ob cutis densitatem, retentis ichorosis superfluitatibus. Nihil autem eam
laßitudinem curauit; quia, etiamsi eâ sæpe infestabatur, semper tamen integrè cu
rabatur; ac propterea de more iuit in templum, & pransus est, licèt parum come-
derit. Cœnare autem noluit; non quòd cibum non appeteret; sed quia ita erat a me
doctus, vt, quando sic afficeretur, incœnatus decumberet. Curabam etiam, vt fri-
caretur per vniuersum corpus, leuiter tamen, calidis linteis, ijsdemq; magis vt fo-
uerentur eius omnes partes, tantisper, dum sudaret. atque ita facilè is affectus dis-
cutiebatur. Cum primum ergo quieti se dedit, voluit Rex (vt consueuerat) fri-
cari. Quod cum audiret Simonius, qui solus aderat Regi cum Lepscenio, suasit, vt
artus tantùm modicè fricarentur, vtq; Rex panis aliquid sumeret, vinumq; bibe-
ret; promittens fore, vt, vino epoto, in ea aëris adeò frigida constitutione, meli-
ùs, quàm præcedente nocte, dormiret. Facilè acquieuit huic consilio Rex, quippe
qui appetentiâ satis erat integrâ. Itaque, aliquanto pane ex vino sumpto, duo,
non musti, sed generosi Vngarici vini pocula hausit; ex quo cum ipsi caput inca-
luißet, dormire non potuit. Vnde non in ipso primo somno expergefactus Rex sur
rexit (vt fingit Simonius) sed, quòd videret somnum se capere non poße, caputq;
sibi incaluiße, ad locum iuit secretum. qui videlicet locus frigidus erat; nam ibi
perpetuò fenestræ patebant. Sperauit autem, se eo frigore calori capitis mederi
poße, & præterea faciliùs somnum capere. id quod sæpe ipsi euenerat ex senten-
tia. At verò in reditu, ex improuiso omnem amittens sensum voluntariumq; mo-
tum, sic cecidit, vt inde vulnus acceperit in crure, & deinde, quomodo id accidis-
set, minimè sciuerit, ac præterea frontis cutem alliserit.

Ex his apparet quantum intersit (vt Celsus ait) ab initio quis rectè curatus sit,
an perperam. Nam, eo primo affectu malè curato, quo sæpe liberatus fuerat, in [lib. 3.]
morbum gra-

morbum grauißimum incidit, ex quo minimè euasit. Incidit autem, vt quisq; anim-
aduertere potest, culpa Simonij, qui vinum ipsi, eo malo affectu laboranti, & [lib. 3. fen 1. doct. 5.]
vacuo ventriculo existenti, conceßit, minimè eorum recordatus, quorum Auicen-
na loco a se citato meminit; nempe ex causis Epilepsiæ eße ieiunium, & vini puri
potionem, qui hæc etiam ibidem addit; Et propterea quòd impedit sto-
machum, vt plurimum Epilepsiæ conuertuntur ad paralysim. *id*
quod ferè in Regis morbo accidebat. Sed miserè laborat Simonius in explicando
quomodo ex Syncope humi prostratum vnus Lepscenius, gracilis iuuenis, neque
validis admodum viribus Regem erigere, in cubiculum reducere, & lecto impone-
re potuerit. nam virum tam grauem Syncope apprehensum, vix decem Lepscenij
erigerte, aut loco mouere potuißent. Iam quicunque vel robustißimus iuuenis, si,
non dicam forti Syncope, sed leuißima etiam corripiatur, vbi ad se redit, haud sa-
nè statim stare pedibus potest. quantò minùs Rex potuißet, iam quatuor & quin-
quaginta annos natus, corpore pleno, & suapte natura graui, sinistro crure mi-
nus firmo, immo etiam dextro, si Simonio fides habenda est? Dicat Simonius, qui
casum eum, Syncopen appellat, quomodo id fieri potuerit. Verùm, cum non pro-
cul a Regio cubiculo dormirent Ianitores, & duo Nobiles iuuenes Vngari, si res
tulißet, aliquos ex his vocaßet Lepscenius. At res secus habuit. Rex enim, cum
primùm ad se redijt, leuiter a Lepscenio adiutus, surrexit, minimeq; pedibus titu-
bans, ad lectum se contulit. Quare non Syncope, sed Epilepsia, vt probabimus,
fuit correptus. Nil mirum autem, si Simonius omnia adulterat. nam ipsi antiquis-
simum hoc semper fuit. De febricula quoque narrat, quæ tamen, vt ex vrinis di- [Reiicitur commentum Simonii de febri.]
ei Lunæ, & Martis conijcere potui, nulla fuit. vrinæ enim erant prorsus natura-
les. Nisi ergo sponte mentitur, neceße est, Simonium fuiße deceptum. Sed subest,
vt arbitror, dolus. hoc enim fingit Simonius, vt, morbum non fuiße Epilepsiam,
probet: nam febris Epilepsiam soluit, vt Galenus testatur; vel saltem Epilepsiæ, [6 Epid com. 6. ad part. 7]
vt pote spasmo materiali, confert, quemadmodum Auicennæ sententia est. Sed [lib. 3. fen. 1. tract. 5. cap. 8.]
neque Asthma potuit eße. Nam Asthma morbus sine febre est. Condonari tamen
Simonio error hic facilè potest; nam nunc morbum non ampliùs Asthma, sed Syn-
copem asthmaticam vocat.

Die Lunæ. 8. Decembris.

SIMONIVS.

Redeo summo mane, quod diei Lunæ fuit, Regem cum ipsa iam XXXIIX.
aurora experrectum, saluto: primùm de somno, deinde verò an vl
lus in vulnerata parte hactenus esse molestus cœpisset dolor, in-
terrogo. Placidè se quidem, & citra omnem doloris & molestiæ
sensum, sed cum breui tamen vsura somni, quieuisse, respondit.

Placuit tum in media luce deligationem recognoſcere, necdum ſoluere tamen. Nullo coxę tumore, nulloq; dolore ſeſe monſtrante, nihilo tamen minus, quò tutiora eſſent omnia, vicinas vlceri partes, vnguine ex oleo roſacco tepente, hinc inde munio. In pulſu tamen atque vrina, non obſcura prorſus indicia quædam feruoris, ac turbationis internæ apparebant. Reliquias credidi has nocturni paroxiſmi, qui obſeruari minus potuit. De cætero quod ſatis ſuperq; profluxiſſet, è recenti ac magno vulnere ſanguinis, poſthabita venæ ſectione, leniens propoſui pharmacum.

RESPONSIO.

Venæ ſectio malè a Simonio omiſſa.

Exaggerat iterum morbum Simonius, ne ſua culpa, & abſq; potentißima cauſa videatur Rex obiiße, ideo de febri iterum comminiſcitur. Deinde ſe excuſat, quòd, cum febri laboraret magnoq; morbo fuißet correptus, venam non ſecuerit: ex vulnere enim, ait, ſatis effluxiße ſanguinis. Sed craßa ſanè eſt hæc excuſatio. Nam cum vulnus illud, ex alliſu ad rem minimè acutam, & præterea duobus ſupra rotulam genu digitis fuerit, vbi nullæ magnæ venæ ſunt, inde copioſus ſanguis effluere non potuit. Verùm etiamſi multum ſanguinis effluxißet, vena tamen erat ſecanda. nam non ex debito loco effluxerat. Et, ſi id verum eſt, quod contendit Simonius, morbi fomitem fuiße circa præcordia, omnino vena brachij erat ſecanda. Nam, vt Galenus docet, partes ſupra renes affectæ, ſectâ venâ brachij, iuuantur; quemadmodum, quæ infra renes, ſectâ venâ poplitis.

De venæ ſect. & alibi.

SIMONIVS.

XXXIX. Sumpſit itaque Rex, mannæ ſelectioris, vncias plus minus quatuor.

RESPONSIO.

Pudet Simonium veram doſim fateri. Nam tres tantum mannæ vncias, non quatuor, in ſimplici iure dißolutas exhibuit Regi, vt ex Pharmacopolæ libris patet. quæ quid efficere potuerunt? cum drachmæ duæ maßæ pilularum cocchiarum, cum granis quinq; Ellebori, pharmacum quadruplo vehementius, quàm tres mannæ vnciæ, parum etiam purgauerit? Non ergo iniuria piget, pudet, pænitetq; miſerum hunc erroris ſui in doſi admißi. Sed pudeat quæſo potius tale vnquam propoſuiße medicamentum. Quem enim Manna purgat humorem, niſi bilem flauam? Atqui tu ipſe Simoni infra ſtatuis, ſanguinem circa præcordia copioſius cumulatum, in atrum craßumq; humorem concreuiße, huncq;, cauſam, fomitemq; morbi eße ais. Catharticum ergo vehemens, vel ſaltem lenitiuum, quod hunc reſpiceret humorem, quodq; ei eßet accomodatum, exhibere debuißes, taleq;, quod a maioribus vaſis circa præcordia, a magna arteria, cauaq; vena traheret. Quòd ſi pruna ex infu-

Error Simonii in exhibiti pharmaci quantitate, ac qualitate.

na ex infuſione ſenæ, ſæpe a me præſcripta, & a Rege vſurpata, tibi (quod meum eßet inventum) non probabantur; cur non aliquid aliud exhibebas? Num fortè exaruerat ſapientia tua? Cur non electuarium lenitiuum, aut diacatholicum, aut infuſionem ſenæ, aut ſenæ puluerem Montagnanæ, aut quid ſimile? Sed & vehementiora, vt dixi, exhibere debuißes. Febris enim, vt ſcis, nulla aderat. Sed hæc iam fruſtra. Tuus hic potißimùm error, atq; tua hæc inſcitia fuit, quòd, cum morbus in capite latuerit, nihil, quod a capite educere poßet, exhibuiſti.

SIMONIVS.

Victum præſcribo tenuem: viniq; illius tenuioris & ſubauſteri, quod Rex è Somlio ſibi quotannis adferri curabat, proptereaq; domeſticum, & quia nullarum prope virium, ſi cum reliquis Vngaricis conferretur, eſset, æſtiuum appellare conſueuerat, vſum concedo. XL.

RESPONSIO.

Victus ratio planè contra artem a Simonio præſcripta.

Victum tenuem vult ſe præſcripſiße, cum tamen, vt infra ipſemet teſtatur, conceßerit ipſi carnes gallinaceas, vitulinas, & agninas, atque, vt hìc fatetur, vinum Vngaricum, haud videlicet dilutum. Galenus in commento. aph. 4. lib. primi, cum carnes, & piſces conceduntur, tametſi in parua quantitate, negat dici poße victum tenuem. Noſter verò Simonius victum, qui carne conſtat, tenuem eße contendit. Vinum verò in morbis acutis nunquam ſine aqua concedit ægrotis Galenus; immo tantum immiſceri aquæ iubet, vt vix vini ſimilitudinem referat. Simonius autem, cum morbum acutum fuiße dicat, cum febre quæ lipyriæ mores referret, vinum tamen ſine aqua conceßit, quod certè non tenue, ſed potens & generoſum, vt dominus Andreas Choruat, qui vini Regij cuſtos erat, teſtatur. Nec verò eſt, quòd nobis obijciat, conſuetudinem ægroti. nam licèt Vngari, ſani plenißimo vtantur victu, ægrotantes tamen ad dies complures ieiunare, ita vt a cibo aliquando & potu penitus abſtineant, conſueuere, dum ſe aliquantiſper morbo leuatos ſentiant. Quòd ſi Epilepticos inſultus non metuit Simonius, qui tam audacter vinum propinat, cur febrim, quam tantopere vrget, non horret? Ad hæc cur vinum ſubauſterum exhibuit: cum tamen velit, obſtructiones adfuiße in magnis venis, fluxionem conſuetam intrò pulſam, vlcus a quinque diebus aridum, aluum adſtrictam?

3. de vict rat. in ac. ad part. 40.

SIMONIVS.

Sequuta poſt horas ſex, deiectio vna & altera pro pharmaci conditione, ventriſq; pigritia & tarditate, vtcunq; copioſa. XLI.

RESPONSIO.

Nihil prorſus operata eſt Manna; & ideo de pharmaci conditione, ventris pi-

gritia & tarditate commemorat Simonius. qua in re non omnino accusari debet, quando tenues sui pharmaci vires agnouit, & fassus est. Sed deiectionem vnam atque alteram sequutam deinde fuisse, dicit; scilicet vel quòd ita voluisset, qui enim amant, ipsi sibi somnia fingunt, vel vt excusaret erratum suum.

SIMONIVS.

XLII. Circa secundam tamen noctis horam decumbens Rex, visus non nihil subitò pallescere, & ad minimum vixq; animaduersum temporis momentũ quasi animo defici, paulò post aridius os, partium thoracis difficultas & oppresio aliqua, pulsus citatior, nec ex toto æqualis, humoris in præcordiis efferuescentis exacerbatæq; febris quæ tamen non admodum se exerebat, certa dabant indicia.

RESPONSIO.

Multa hîc & inferiùs confingit, quorum vel ex hoc vno conuincitur, quòd ipse Simonius, nec eâ horâ, nec ante vel post duabus horis adfuit Regi. Ego circa solis occasum ad Regem veni a Vesalino per literas vocatus, nec vsquam ea nocte ab eo discessi. Venit autem Simonius circiter quintam noctis, & breuibus de Regis morbo ac cura mecum agens, in suum rediit hospitium.

Veritas actorum diei Lunæ.

Præstat autem, dimissis istius ineptijs, veritatem persequi, quæ hæc est. Tribus ante prandium horis sumpsit Rex tres Mannæ vncias in simplici capi iure dissolutas. Deinde constante appetitu pransus est, & concedente, immo consulente Simonio, non tenuis, sed generosi consuetiq; vini Vngarici (id quod dominus Andreas Choruat testari potest) duos cyathos hausit, & vnum aquæ ex infusione Cinamomi a Simonio præscriptæ. Reliquum postea diei tranquillo & hilari animo transegit; nec in lecto se continuisset, nisi metuisset, ne vulneri superueniret inflammatio. Cumq; nullum, præter consuetum, ex medicamento ventris commodum habuisset, Veselinus, Simonio præsente, conseruam ex persicorum floribus Regi proposuit. quam Simonius, vt Rex postero manè sumeret, probauit; vbi tamen nulla maior ex Manna consequeretur euacuatio. Paulò ante, quàm aduesperasceret, ex meo prædio adueni; atque, cum ex Rege ipso omnia hæc, vt acta erant, accepissem, statim, vt per aliquot dies a vino prorsus sibi interdictum vellet, rogaui; & non solùm a vino, sed etiam ab aqua illa ex infusione Cinamomi; cuius loco ad caput roborandum, & neruos, vt saluiæ decocto vteretur consului. Respondit tum mihi, nullum se capitis dolorem, aut alicuius partis sentire, & cum vulnera aliàs in iuuentute sua accepisset, non ideo a vino abstinuisse; verumtamen,

si ita mi-

si ita mihi videretur, dilutum se vinum bibiturũ. Posthæc alia vsq; ad tempus cœnæ tractauimus. quo tempore, cum abesset Simonius, Regi vinum petenti, multa aqua dilutum exhibui. Quod cum ipsi non placuisset, aquam deinde ex Cinamomi infusione voluit. Circiter quintam noctis ingressus ad Regem Simonius, postquam aliquot nugas, de more suo, quo Regi risum moueret, narrasset, recessit mecum in aliud cubiculum; vbi paucis (vt solemus omnes Medici vbi soli sumus) de Regis morbo consultauimus. Simonij sententia fuit, Morbum periculo vacare, quòd nec febris, nec tumor, nec dolor adesset, & vulnus simplicissimum minimè profundum, quod tantùm ob id, quòd prope articulum esset, quietem desideraret. Casum verò illum neutiquam timendum: accidisse enim ex spirituum perturbatione.

Simonii sententia, quæ fuerit de Regis morbi vi. & partim de causa & cura.

Regem enim superioribus diebus, cum multum se in venatione exercuisset, parum deinde dormiuisse, & per triduum semper incœnatum decubuisse; ac tandem, cum vinum generosum bibisset, in locum frigidum iuisse vento expositum, vbi ex cutis constipatione vertigine correptus, veluti ebrius, cecidisset. dedisse se Mannam, vt aliquantulum purgaretur; sed Regem, voluisse, quòd Manna non purgasset, postera die conseruam ex floribus persicorum accipere. De cætero, putare se, si aliquandiu quiesceret, fore, vt, breui curato vulnere, pristinæ sanitati restitueretur. Ego, his auditis, excepi; Morbum non videri mihi ita paruifaciendum; necesse enim magnam spirituum extitisse perturbationem, cum in casu vulnus acceperit, &, quomodo cecidisset, minimè agnouerit. a biennio eum nunquam misisse sanguinem; a sesquianno verò, nec pruna, nec vllum aliud soluens medicamentum accepisse. Quare, cum cutem densissimam haberet, indigere ipsum euacuatione. Et quamuis solstitium prope esset, ac nouilunium instaret, consilium tamen meum esse, vt sanguis ex brachio mitteretur, vel validum aliquod exhiberetur medicamentum, quod a capite traheret. casum illum, & rubedinem faciei, & venas coniunctiuæ tunicæ oculorum, quæ plus iusto tumere visa sunt, capitis plenitudinem indicasse luculenter; & aliàs in Transyluania grauem morbum capitis perpessum cum fuisse. atque ideo statim occurrere nos morbo debere, ne quod malum, nouilunium secum adferret.

Buccellæ sententia de morbi Regis vi eiusq; curatione.

De cætero dixi, putare me, consultum, vt a vino, & aromatis abstineret; vtq; aquam biberet, quæ vapores impediret, quominus caput peterent; veluti aquam ex decoctione foliorum Saluiæ, addito (si videretur) quò magis saperet, limonum succo.

Buccellæ sententia de cura.

Simonius ad hæc, in hanc sententiam; Præscriberem ipse, quam vellem, victus rationem; sed venæ sectionem non probare se, quòd hyems esset, & quòd satis ex vulnere sanguinis effluxisset. videri Regem plus solito rubere, & venas illas turgidas habere ob decubitum. Præstare ideo, vt, si quid in corpore superflui inesset, per diætam consumeretur, quàm, vt potens aliquod exhiberetur

Simonii sententia.

medicamen-

medicamentum,cum Rex a pilulis,et ab omnibus compositis abhorreret.Quoties,
inquit, ebrius ipse cecidi,& inde non dicam tale simplex vulnus accepi, sed tan-
tùm collum non fregi,nihilq; horum postea quæ feci recordatus sum;& tamen de
mißione sanguinis, aut cathartico sumendo nihil quicquam cogitaui. immo potiùs
optimè comedi, ac bibi; neque ideo quicquam mali habui. Dabimus igitur con-
seruam persicorum, & satis superq; fuerit. Atque, his prolatis, ingreßus iterum
est ad Regem. Ego autem, Regis animum, & ingenium bene habens perspectum,
cum mecum nollet Simonius conuenire,tacui.sciebam enim,vix,nobis ambobus in
vnum consentientibus,poße Regi, vt venæ sectionem admitteret,aut pilulas acci-
peret,persuaderi. Curato vulnere, Simonius in suum se iterum hospitium recepit.
ego verò cum Rege tota nocte mansi; qua Rex satis quieta vsus est, & placidè
dormiuit.

Die Martis. 9. Decembr.

SIMONIVS.

XLIII. Die Martis manè,ecce tibi Ferenz Veselinus,qui non cubicula
rii tantum,sed etiam medici officii munere pro summa sua omni-
scientia fungi se rectè posse ac debere ratus, folia mali persicæ, ex
saccharo à cōiuge propria condita,domiq; asseruata Regi offert,
atque ad multa commendat.

RESPONSIO.

Præter rationem hic Ferenzium Veselinum carpit Simonius; cum, vt supra di-
ximus, hoc idem medicamentum ab eo propositum Simonius ipse pridie laudaue-
rit. Præterea non folia, sed flores persicorum obtulit. Quid mirum autem Simo-
ni, si alij id, quod tua culpa mancum est, supplere conantur?Nibil mouerat Man-
na. dolet hoc Veselinus, Regiq;, suo benefactori, nititur opem ferre;sed nihil ta-
men, te inconsulto, facit. Quid ergo in eum blateras?cur ei obloqueris,miser,qui
tua errata vtcunque sarcire contendit?

SIMONIVS.

XLIV. A prandio primùm Bucella comparet.

RESPONSIO.

Buccella non die Martis primùm a prandio,at die Lunæ vesperi Regi ægrotanti adfuit.

At contrà dominus Alemanus culinæ magister, pueri Regis,Ianitores,Pharma-
copola, & alij fidem facere poßunt, me non die Martis a prandio, sed die Lunæ
vt ante dixi, ante solis occasum aduenisse. Verùm præter cæteros hoc Ferenz
Choruat testari potest, qui literas Veselini ea ipsa nocte ad me scriptas, qua pri-
mùm Rex cecidit, ante lucem diei Lunæ meo famulo mihi deferendas dedit; neque
priùs inde discesit,quàm seruum meum equum conscendentem vidisset,vt ad me ve
niret; qui

uiret;qui etiam vbi ego vesperi aduenißem, mihi ob uiam factus est. Neque verò,
quòd rei,vt gesta est,non recordetur, sic scribit Simonius.Nam die Lunæ, statim
atque veni,id resciuit, Veselinoq; succensuit,qui me ad curam vocauerat.atque e-
adem nocte de Regis morbo mecū consultauit. Fingit autem Simonius,me die Mar
tis a prandio primùm comparuiße,quia persuadere contendit, Regem in ipso mor
bi initio non alternis, sed singulis diebus paroxismo fuiße correptum.Atqui,cum
die Lunæ adfuerim, testari poßum, hoc enim certò scio, ipsum ea nocte corre-
ptum non fuiße. Quanti autem hoc referat, alibi declarabitur.

SIMONIVS.

Audit ille à me totius morbi & præteritorum paroxismorum XLV.
occasionem,initia,progressum,mores.sententia mea fuit: Mali il
ius idæam ad illam ipsam esse referendam, quam Hippocrates
lib. 4. de rat. vict. in acut. rudibus tantum lineamentis adumbra
uit: sed Galenus in com, ad sent. 23. & 27. eiusdem libri, colori-
bus ac pigmentis illustrioribus additis,prope ad viuum expressit
Nimia frigorum vi,densata cute,adstrictis occlusisq; venarum
osculis,quotidianam vlceris (quod totis iam octo diebus fuisset
aridum) fluxionem cohibitam: retroq; pulsam,cum sanguine,
non in cerebrum sed in venam cauam,& arteriam magnam affa-
tim remeasse: ac circum præcordia copiosius cumulatam, in a-
trum crassumq; humorem,cuius vestigia in vrinis ipsis appare-
rent,malignam etiam qualitatem quandam ex corruptione ade-
ptam, vasis vtcunque oppletis, interceptisq; sensim concreuisse.
Eandem per certas quasdam horarum periodos, noui humoris
recursu auctam,concepto feruore turgere. Liberam inde spiri-
tuum transcursionem impediri:transmissoq; in cor primùm ma-
ligniore halitu, momentaneam illam animi defectionem inferri:
atque hac discussa, vapore crasiore,qui & pulmonis arterias ob-
strueret,& septum transuersum distenderet,læsis iam alioquin
per se vi eorundem frigorum respirationis organis,subsequen-
tem, eamq; diu perseuerantem,ac molestam dyspnæam & oppre
ssionem, Sanè in tam graui atque obeso corpore,tantaq; vena-
rum angustia periculosam inuehi: nec non occultam atque inter-
nam, vnà suscitari ac foueri febrim, quæ lypiriæ mores referret.
Syncopim Asthmaticam,à nonnullis hanc fuisse appellatam : per
quam (dico) nullo pulmonum infarctu: sed subita primùm inter
ceptione spirituum,quorum opera partes respirationi seruientes

mouentur. deinde verò crasso eoq; copioso ex crassi atriq; humoris lenta quidem, sed continua efferuescentia, vapore in pulmones & diaphragma lato, metuenda illa oppressio, nunc asperior, aliàs pro causæ nimirum morbificæ copia, commotione, feruore, mitior induceretur. Si quę præcesserunt, ingentium acutissimorũq; frigorum occasiones, si tam connatiua quàm adscititia corporis constitutio, familiaris viuendi consuetudo, tempus anni pręsens, Regio, cœli status, morbi & symptomatum mores, nocturna illa exacerbatio, pulsus, vrina, & reliquæ circumstantiæ, stata præsertim iam per dies aliquot, quotidiana illa cruris expurgatione, in consilium admissa veniant: vix de affecta primariò sede, affectu qui in ea consistit, cõtinenteq; eius causa, certius aliud quippiam, meo quidem iudicio statui posse.

RESPONSIO.

Simonii errores in Regis morbo confingendo. ex quo ipsius etiam cura manifestè redarguitur, atque in ipsa a se probata cura summa negligentia ostenditur.

Ne somniauit quidem tunc id, quod nunc dicit Simonius. Verùm adeò interim medicæ praxis ignarus est, vt quamuis multum diuq; cantilenam, quam mihi occineret, meditatus fuerit, eam tamen non ita componere potuerit, vt se reum nihilominus non faceret. Sed non agam tecum multis Simoni. Contendis, morbi istius ideam ad eam referendam esse, quam Hippocrates & Galenus 4. de rat. vict. in morb. acut. descripserunt. Sed videamus quid ibi Hippocrates dicat; Vt aliquis, *(ait)* derepente voce priuetur venarum interceptiones faciunt; si sano hoc contingat absq; manifesta aut alia forti causa. *Loquitur de priuatione vocis, quæ sanis derepente contingit. Contingit autem a copia, ut ait Galenus; ijs nempe, qui bono corporis habitu præditi, cibariis multis multumq; nutrientibus vesci solent. Id quod athletæ potissimum faciunt; qui, dũ corporis molem, & robur parare student, ad tantam corporis plenitudinem perueniunt, vt maiorem acquirere non possint. ij ergo, nisi statim occurratur, in aphoniam incurrere ex interceptione venarum possunt. Ideo in Aph. consuluit Hippocrates, vt talis habitus soluatur; quia, cum proficere non possit in melius, superest, vt recidat in deterius. necesse est enim, vt vel rumpantur vasa, vel natiuus calor stranguletur; quod antequam fiat, ipsi sani sunt, & optimo habitu præditi; & tamen repente vocem amittunt. Addit Hippocrates,* absque manifesta causa, *vt distinguat ab ijs, qui in lucta, exempli gratia, aut ex casu voce priuantur. Addit etiam,* absque alia forti causa: *nam, vt Galenus interpretatur, ex timore*

In commentario.

seu mœrore animi contingit, vt vocem sanus derepente amittat, absque vlla tamen venarum interceptione. Patet autem hîc, Galenum, & Hippocratem per aliam fortem causam, omnes aliorum morborũ causas complexos fuisse, in quibus aphonia contin-

nia contingit, etiamsi nulla adsit interceptio venarum. nam in alijs morbis, vt in Epilepsia, Apoplexia, & huiusmodi, fit quidem aphonia, sed ab alia aliqua forti causa, vt plurimum; raro autem ab interceptione venarum. Quis autem hîc non animaduertat, longè nostro absimilem esse casum, quem Hippocrates describit? Primò nusquam reperitur, apud Hippocratem, vel Galenum, aphoniam ex interceptione venarum, nominatam esse Syncopem asthmaticam. quamquam de nominibus, parum referret, si res conueniret; sed neque res conuenit. Nam in affectu ab Hippocrate descripto, non afficiuntur pulmones. in eo verò, quo Regem laborasse, Simonius fingit, afficiuntur. Secundò Hippocrates loquitur de interceptionibus, vt Galenus ipse declarat, quæ a copia oriuntur. Rex autem, vt Simonius statuit, quo tempore in eum morbum incidit, parcissimo victu vsus est, & tantùm non ieiunauit. non ergo ex venarum interceptione ægrotare potuit. Verba Simonij sunt, Primùm die tertia decembris, Cœna parcissima, & prope nulla. *Deinde die quinta,* parcius propter vsum piscium Rex pransus. *Tum verò die sexta,* Cœna nulla, quę in aliis quoque tribus, qui præcesserant, parcissima fuerat. *Postremò die septima,* secutum tenue prandium, Cœna quoque, præter tantillum panis vino insuccati, persicorum pulpæ frustum saccharo conditum, & pruna passa Damascena tria, nulla prorsus. *Hæc Simonius. Qui, cum Regem tanta se inedia macerasse scribat, audet tamen contendere, ipsum postea ex venarum interceptione in Syncopem incidisse. Tertiò Hippocrates ægrotos exclusit, dum dixit,* Si sano contingat. *Atqui Rex noster non erat sanus, quando id ei accidit. Nam, si Simonio credatur, substiterat ipsi prorsus fluxio, quæ per cauterium peccantes expurgabat humores; &, cum substitisset, in venam cauam, & arteriam magnam remeauerat; vbi maligna qualitate, ex corruptione, accepta, in atrum crassumq; sanguinem sensim concreuerat. Hæc autem omnia arguunt, Regem tum non bene valuisse. neque enim dici sanum corpus potest, in quo tanta humorum colluuies adsit; neque malignitas illa à calore natiuo, sed à putredinali accesserat. & febri etiam continua Regem tum laborasse oportuisset, si calor præter naturam, circa præcordia, in magna arteria & caua vena conclusus fuisset. hoc enim vix citra continuam febrim esse potest. Verùm ridere fortè quis posset istas nostras probationes; cum Simonius id vltro ac totidem verbis protulerit. Nam antequam Rex caderet, vocemq; amitteret, eum oppressione quadam thoracis, & difficultate spirandi cum febri die tertio mensis Decembris laborasse fingit; & die quinto, & septimo, rursus ante prandium eadem anhelitus difficultate correptum fuisse. Non ergo sanus erat. Quartò dico, ex Hippocratis affectu non amitti vocem, & recu-*

perari per se, nullis ferme adhibitis præsidijs, & iterum amitti, iterumq; recupe-
rari, vt Regi nostro contingebat (neque enim fieri id potest in homine sano) sed
ita amitti, vt ea non nisi magnis præsidijs recuperari, neque iterum paulo post a-
mitti possit, nisi alius aliquis consequatur affectus. Quintò, vt id omittam, quod
Lib. Meth. prædict. obijcere Simonio possem, Hippocrates, per venas, vt Taurellus interpretatur, nō
venam cauam, & arteriam magnam intellexisse, sed arterias carotides, quibus a
corde vitales spiritus in cerebrum deducuntur, cui sententiæ ipse quoque suffraga
Lib. de caus. morborum. tur Galenus, Hoc vnum considero, quòd, dato etiam, Hippocratem venam cauam,
& arteriam magnam intelligere, non ideo inferri potest, eum de hoc imaginario
Simonij morbo locutum esse. Nam Simonius huius morbi causas ponit, frigus pri-
mò cutim densans, & venarum oscula claudens; deinde etiam halitum malignum
in cor transmissum. Hippocrates verò, tum ex interceptione venarum esse, dicit,
cum sano sine manifesta, aut alia forti causa contingit. Nec dissimiles Simonij cau-
sæ sunt ab ijs, quas exempli gratiâ adducit Galenus, cum aphonia contingit absq;
venarum interceptione. Frigus enim causa euidens, a qua Simonius morbum hunc
manasse existimat, non absimile quid efficit, ac, cum quis luctando in suffocatio-
nis discrimen incurrit. & ex maligno halitu, in cor transmisso, quæ causa procul
dubio fortis est, eadem propemodum symptomata producuntur, quæ ijs contin-
gunt, qui præ mœrore obmutescunt. Tantò ergo minus conuenire videtur morbi à
Simonio conficti idea cum Hippocratis idea illa supra exposita, quantò vtramq;
causam & euidentem & fortem, a quibus existentibus aphonia, non autem ab in-
terceptione venarum contingat, Hippocrates complexus est. Sextò, hystericis mu-
lieribus fluentibus menstruis (Galeno teste) ex suppresso semine, sanis tamen, re-
pente contingit, vt vocem amittant, diuq; tanquam mortuæ iaceant. nunquid ea-
rum affectum ad ideam morbi illius ab Hippocrate descripti referes? Non potes.
nulla enim adest interceptio venarum; sed id eis vitio seminis accidit, transmisso
nimirum in cor maligno halitu. Si ergo is affectus non potest, neque tuus poterit
ad illum referri. Septimò, Hippocrates, & Galenus ex occlusione venarum, cum
nimirum nequeant spiritus a corde ad alias corporis partes penetrare, & sic in-
tercepto a corde ad alias partes libero transitu, aphoniam illam contingere statu-
unt. Tu contrà, ex maligno halitu, turbari in corde spiritus, & eos, qui in alijs
corporis partibus sunt, ad cor retrahi dicis. Vnde non quia nequeant ad alias par
tes transire, vt Hippocrates, & Galenus intelligunt, sed ex recursu ad cor apho-
niam fieri vis. Octauò & postremò, aphoniam illam ex interceptione venarum
Galenus contingere dicit, quia calor extinguatur. tu verò, quia calor augeatur.
Ad sent. 23. Verba Galeni in commen. hæc sunt; Cum igitur supra modum opple-
tæ fuerint

tæ fuerint venæ, premi virtutem grauariq; est necesse, atq; in ex-
tinctionis agi periculum natiuam caliditatem, quæ ob multitudi
nem copiamq; suffocationi quippiam simile patitur. Et iterum, vbi Ad sent. 27.
Hippocrates affectum quidem eiusdem generis, nimirum ab interceptione vena-
rum, describit, at qui non sano homini; sed ægro, & a dolore euenerit, sic scribit
Galenus; Iure igitur sanguis in locis huiusmodi, propter venarum
repletionem, spiritum penetrare non permittit; sed, veluti mor-
tuo corpore, coalescit concrescitq;. coalescunt siquidem & quæ
siccantur, & quæ refrigerantur. Hæc Galenus. Ex quibus patet, Simonij
morbum imaginarium ab eo, quem Hippocrates, & Galenus delinearunt, δὶς διὰ
πασῶν discrepare. Verùm errat præterea Simonius, ex fabricæ humanæ ignoran-
tia, dum dyspnœæ illius causam reddit. Nam ait, euenisse a crasso copiosoq; vapo-
re pulmonis arterias obstruente, qui vapor ex crassi atriq; humoris, in vena caua
& magna arteria existentis, continua efferuescentia ortum habebat. Errat, in-
quam quia putat, arterias pulmonū a magna arteria proficisci; quod falsum est.
Nam non a magna arteria, sed a basi sinistri ventriculi cordis originem ducunt.
Et cum hoc ita sit, corruit vniuersa Simonij ratio. Nam, cum vapor ille crassus, an-
tequam pulmones adoriatur, per sinistrum cordis ventriculum transeat, non dy-
spnœam, sed mortem inuehere debuisset. Patet hoc. Nam si primus ille malignus ha-
litus, vt Simonius ratiocinatur, in cor transmissus, animi deliquium, & aphoni-
am inducere potuit, quamuis tenuis fuerit, & momento temporis durauerit; alter
diuturnior & non minùs illo malignus (vt pote ab eadem putrescente materia ele-
uatus) sed contumacior ob crassitiem, & ob copiam molestior, proculdubio con-
sequenter necasset. Ampliùs, vasis his interceptis, nempe caua vena & magna ar-
teria per quæ alimentum & vitalis spiritus per vniuersum corpus demandatur,
diu viuere non potest animal. Rex autem Stephanus, ex quo primùm morbo cor-
reptus fuit, quinque adhuc dies vixit; idq;, tam commodè, vt post paroxismos
vix ægrotasse videretur. Adde, quòd si materia morbifica in magnis vasis, vena
nempe caua, & arteria magna, a renibus vsque ad iugulum concepto feruore, vt
Simonius scribit, tursisset, non certè occultam febrim, non febriculam, vt Simo-
nius ait, sed manifestam & ardentissimam febrim excitasset. Ad ipsam enim ba-
sim cordis, quinimmo in ipso dextro cordis ventriculo materia ipsa morbifica fer
uens fuisset. Et præterea non duplex tertiana, vt Simonius fingit, quæ lipyriæ
mores habeat, sed quartana continua fuisset. Vbi enim ater crassusq; humor pu Lib. 2. de diff. feb. cap. 2.
trescit, & intra venas accenditur, febris quartana continua nascitur, non tertia
na. Profectò, cum Simonius ineptissimè in curatione se gesserit, ineptissimas quo Lib. 2. Crisibus. cap. 12.

 que inuen-

que inuenit excusationes, vt se defendat. Et pulchrè sanè. qui enim quadratus homo est, debet sibi in omnibus similis esse. Verùm ad rem ipsam. Si fomes causaq; morbi est humor ater crassusq; vasa opplens & intercipiens, vt asseris, quod nam erat præstantius remedium, quàm sanguinis missio ex brachio? nonne, sanguine imminuto, ventilato, refrigeratoq;, euacuatis nimirum vasis, quæ repleta erant, statim sublata fuissent omnia Symptomata, & tua illa Syncope asthmatica euanuisset? Si enim causa continens remota fuisset, noua illuc transmissa materia non ampliùs ita obstruxisset, neque concepto feruore tursisset. vnde neque libera spirituum transcursio impediri, neque in cor malignus vllus halitus transmitti, & cõsequenter nulli animi defectioni causa præberi, potuisset. Præterea, cum morbum, de quo loquimur, ad illius ideam, quem Hippocrates 4. de rat. vict. acut. recenset, referendum censeas, nonne, tuo ipsius iudicio, graui dignus es supplicio, qui remedia ab Hippocrate in huiusmodi affectibus vsurpata non adhibueris? Venæ sectionem contemnis. Sed eam maximè Hippocrates celebrat. Ita enim habet;
Part. 23. Vt aliquis derepente voce priuatus fiat, venarum interceptiones
Part 24. faciunt, Et mox, Venam igitur secare oportet in brachio dextro in
Part. 27. ternam, & sanguinem detrahere. Et iterum, Corrupto sanguine,
& spiritibus non potentibus naturales in ipso vias permeare, per
frigerationes fiunt ex statione, & vertigines, & vocis intercе-
ptio, & capitis grauitas, & conuulsiones, si iam ad cor aut epar,
Part. 28 ; aut ad venam deuenerint. Et mox, Quare talibus fomentis priùs
adhibitis, venam secare oportet statim ab initio. Quid hîc ad tui excusationem adferes? Leuis sanè est illa excusatio, satis effluxisse ex vulnere. quæras meliorem oportet. Nam neque satis effluxit; morbus enim cum causa euanuisset. neque effluere poterat, quia vulnus ex allisione fuit, & in ea corporis parte nullæ magnæ venæ, nulla caro adest. neque ex debito loco, quidquid effluxit. Ideo & tu die quarta morbi (sic serò sapiunt Phryges) sanguinem ad octo vncias, licèt non ex vena, vt ab initio debebas, misisti. Præterea Hippocrates, & Galenus a sanguinis missione ægroti refectionem suadent. Tu verò die Lunæ, post casum ex quo Rex vulnus accepit, victum te ipsi tenuem præscripsisse, & die Iouis, detracto per cucurbitulas sanguine cœnam prope nullam, & exiguum quoque eum sumpsisse prandium scribis. Illi a sectione venæ, & a refectione purgationem per superiora suadent. Tu autem a sanguinis missione. per cucurbitulas, & ab ine dia, per inferiora purgationem probas. vt omnio appareat, te quiduis potiùs tum cogitasse, quàm ea, quæ deinceps scripsisti. Nihil hîc dicam de tuo perplexo loquendi genere. iure enim vepres & spinas quæris, vt ijs obsitus tutior maneas.

Sed illud

Sed illud minus ferendum, quòd tu tam sæpe mendacia impurissima, & figmenta tua pro oraculis insinues, ac vendites. Quî non pudet te dicere, vlcus, siue cauterium, totis octo diebus fuisse aridum? Cum scias, duos ipsos intimos cubicularios, & me contrarium vidisse; & cum scias, nihil ex attrahentibus fuisse præscriptum, quæ alioqui in hoc casu vsurpari solebant. Deinde malo fundamento pessimum superstruis ædificium. ais enim, fluxionem inhibitam, retro pulsam cum sanguine non in cerebrum, sed in venam cauam, & arteriam magnam; atque eandem fluxionem circa præcordia cumulatam, in crassum sanguinem concreuisse. Sed quid istis figmentis tuis fidem adstruit? Vrinæ, inquies. In vrinis enim atri crassiq; humoris vestigia apparuisse ais. Commodè sanè hæc tu in vsum tuum asseris. Sed nemo tibi credet, qui præsertim tuos mores nouerit, & tuam in Medicinæ praxi inscitiam. neque enim vrinarum cognitionem habes; neque fortè vnquam, quid quæ significent, didicisti. Sed pudet sanè tua ista commenta, quæ Siculis ipsis gerris vaniora sunt, accuratiùs ventilare. nihil enim te non audere video, vt affectum, quo Rex laborauit, non Epilepsiam, non capitis affectum, sed præcordiorum fuisse persuadeas.

SIMONIVS.

Huc accedere, quòd ipse Rex, hypochondriis ac præcordiis propria subinde manu monstratis, palàm, nobis indicaret, ibi latere malum omne: illaq; vna parte, adferri sibi peteret opem. XLVI.

RESPONSIO.

Satius fortasse foret semel dixisse, Omnia falsa, omnia conficta a Simonio esse. Sic enim toties repetendum non esset, Hîc falsum dicit, hîc've confingit Simonius. neq; si omnia singulatim non explodimus, ac confutamus (esset enim hic labor immensus) statim acciperetur, tanquam id comprobaremus, quod silentio prætermittimus. Dic mihi Simoni, si Syncope erat, & Rex ipse proprijs tibi manibus, vt ais, affectum locum monstrabat, cur non aliqua epithemata cordialia admouebas, cur non aliquo vnguento cordis regionem illinebas? Omnino, quicquam huiusmodi a te fuisse præscriptum, affirmare non potes: extaret enim in Angeli Pharmacopolæ registris. Sciebas, in thesauro Regis oleum adesse pretiosissimum, a Magno Hetruriæ Duce Regi nostro missum, quod efficacissimum esset contra omnes malos cordis affectus; cur non eo vsus es? Nugæ hæ tuæ sunt, a te, re iam transacta, excogitatæ. Mecum certè Rex non de præcordijs conquestus est; sed de capite. non quidem primis ijs diebus, quibus eum ægrotum offendi; sed postremis tantùm, paulo ante, quàm moreretur.

SIMONIVS.

Iam aptis iustisq; præsidiis, à quibus Rex minimè abhorreret, XLVII.

præparan-

præparandam materiam: crafsitiem illam sanguinis attenuandam (videri enim iam atri humoris naturam referre) malignitatem retundendam.

RESPONSIO.

Vt materiam præparet, craßitiemq; sanguinis attenuet, vt infra videbimus, iuscula parari iubet ex pullis gallinaceis, &c. cum folijs & radicibus petroselini, & limoniorum taleolis, caryophyllis, croco, rosmarino; præterea saluia, melisophyllo, quorum præcipua vel non reperta fuißent: in ipsa enim hyeme in Lithuania, quis limonia non salita, quis petroselini folia recentia, rosmarinum, & huiusmodi inueniat? Vel si tamen inuenta eßent, Regi vsui non fuißent. Cum enim hæc pleraq; calida sint, Regi, qui morbo calido affectus erat, non poterant non maximè obeße. Quòd si etiam Regis morbo conuenißent, & inuenta fuißent; nunquam tamen fuerant in Regia culina parari iußa. Frustra ergo planè, non modò malè & præter rem, hæc nunc Simonius comminiscitur.

SIMONIVS.

XLIIX. Muniendum cor antidoto aliqua: feruoris occasionem, cum subtracta illi materia, tum verò internis partibus moderata refrigeratione temperatis opprimendam: demum pharmaco aliquo, aut si grauius aliquid vrgeret, etiam scalpello, quicquid intus collectum esset impuritatis educendum è corpore.

RESPONSIO.

Faciendum, sanè inquit, Muniendum, Opprimendum, Educendum. sed nihil tamen nominatim proferre audet; quia nihil parari iußit, nihil proposuit; & ne in mentem quidem illi venit, vt aliquid in hos vsus proponeret. qui enim morbum non agnouit, nesciuit quid ageret miser; & interdum mecum conuênit, interdum etiam contra me instituit, vt aliquid agere videretur. Nõ obstitißem sanè, si quam antidotum cordi adhibuißet, vel si epithema aliquod aut inunctionem applicuißet. Nam nihil horum ipse feci, quòd morbum in capite sedem habere intelligerem. Sed tamen, hæc nihil nocere poße, sciebam. Iam, quid iste iactabundus de scalpello nunc narrat, qui mihi ab initio validum pharmacum, aut venæ sectionem proponenti, planè contradixit, & reluctatus est?

SIMONIVS.

XLIX. Sed præter cætera, sedulò id vnum procurandum, & acriter instanterq; modis omnibus vrgendum, vt, inquam, ad vlceris locum, quotidiana illa fluxio, quæ iam integris prope nouem dieb. intus remorata, malo initium dedisset, continensq; dici eiusdem causa posset, impetum denuo suum cõuerteret omnem. Delatum enim ad crus humorem, intro compulsum, indeq; in viscera subitò interemisse hominem, iam sæpenumero visum. Vnamq; ideo spem superesse salutis: si fieri posset, vt ad crus denuo reuelleretur: quod ipsum quoque Galenus 2. comm. in lib. Hip. de natura humana testatus esset.

RESPONSIO.

Appositè omnia. Sed quamobrem, quæ ita facienda (scilicet) iudicabas, non fecisti? cur fluxionem, quæ iam a nouem diebus (tuo testimonio) erat suppreßa, denuo ad crus reuellere non studuisti? Cur nihil in hunc vsum parari iußisti? cur ne minimam quidem huius rei tum mentionem fecisti?

SIMONIVS.

Alimentis itaque medicatis & frictionibus, quas in eiusmodi ægritudine Galenus allegato lib. 4. de rat. Vict. in acut. com. ad sent. 28. fomentis etiam ipsis ab Hippocrate commendatis, præponeret, prioribus illis indicationibus, iam fieri debere satis: de reliquis verò, in re præsenti, commodius certiusq;, suo nos tempore deliberaturos. L.

RESPONSIO.

Dicat, quæso, Simonius, quibus vnquam alimentis medicatis in Regis ægritudine vsus sit. Certè & pharmacopola, & Magister Regiæ culinæ, & omnes cubicularij, & ianitores, & ipsi Regij palatij parietes (vt Simonij verbis vtar,) nunquam quidquam tale, vel præparatum, vel deportatum ad Regem fuiße testabuntur. Fomenta similiter nulla adhibita sunt; neque tum de illis meminit Simonius.

SIMONIVS.

Ergo, uinum, quale descripsi antea, idq; iam, si videretur, non nihil dilutum, Regi concedendum. LI.

RESPONSIO.

Apparet hîc Simonii in arte præstantia, qui vinum Vngaricum Regi, comitiali morbo laboranti, etiam non dilutum conceßerit. Num autem vinum Vngaricum subausterum (tale enim est, quod antea descripsit) in morbi acuti initio, qui a frigore acciderit, cui febris cõtinua lipyriæ mores habens adiuncta eßet (quē iudicauit Simonius non carere periculo) Regi conuenißet, habitu pleno ac succulento, cutiq; naturâ densißima, & intensißimorum frigorum vi densiore reddita, corpore nondum purgato, cui suppreßa aluus, nec sanguis ex vena brachij mißus eßet, cum Galenus in diariæ febris cura, morbi nullius periculi, vbi a magno frigore originem traxerit, et patiens pleniore habitu sit, vini vsum prohibeat; iudicent viri docti. Ego in hoc explicando certè non laborabo. 1. ad Glauc. 9.

SIMONIVS.

LII. Reſpondit ad hæc Bucella, vt ſolet atq; vt poteſt, paucis. Quòd ipſe quoque eſſet de eadem opinione, in quantum ad morbum, & cauſam morbi: & quòd conſentiret etiam in intentione curatiua: ſed quòd oporteret videre parum, quid faceret morbus in illa nocte: poſtea iterum venire inſimul, & iterum collegiare, & ordinare omnia, quæ erant ordinanda.

RESPONSIO.

Ludit in re ſeria, at frigidè ſatis, miſer iſte. Iam qui me norunt, ſciunt, quamuis res pluris, quàm verba, faciam, me non tamen ita craßè loqui, vt fingit Simonius; cui ſuauius verborum ſtrepitus ſonat, quàm rerum ſententiarumq; pondus. Sed heus tu, verbis'ne, an herbis medendum eſt? Non habes ſanè neq; tu in verbis, quod multum glorieris, ſi te bene noris. Sed quorſum hæc in me nunc fingis, cum tecum ſemper, vbi ſoli fuimus, ſim Italicè locutus? Ne ſis porrò de verbis adeò ſollicitus. nam alioqui te Squarcialupus meritò, non medicum corporis, ſeu, vt ipſe loqueris, perſonæ vocabit, ſed medicum verborum, vel potiùs verboſum. Cæterùm ſi tecum conſenſi (vt tu quidem nugaris) in curandi ratione, quare ea, quæ te ſuaſiße ais, miniſtrata minimè fuere?

SIMONIVS.

LIII. Bucella petit a me, vt ſecum pauliſper ſecedam: indicans eſſe de quibus mecum conferret. Sequor. Audio. Summa orationis illius hæc, atque his ipſis verbis expoſita fuit. Placere ſibi quod antea dixiſſem de morbo ſuæ maieſtatis atque intentionibus curatiuis: videri tamen, quòd ille caſus non eſſet Syncopa, ſed quandam ſpeciem de Epilenſia. &c.

RESPONSIO.

Quæ mea ſententia fuerit, dixi in ſuperioribus; nunc iſte garrit ad libitum. ſed per me valeat ſanè cum ſuis ineptijs. Mirum autem in modum oblectaur his nugis; vt omnino non Italus, ſed Græcus, adeoq; Athenienſis dicendus ſit; quos Demades dicebat eße tibiis ſimiles; quòd, ademptâ linguâ, nihil reſidui rationis haberent.

SIMONIVS.

LIV. De validiore purgatione decernenda, vt conſentirem, vna illa me cogitatio mouit: quod etiamſi morbificus humor minus fureret, atq; in vna corporis parte potius congeri deſidereq; videretur: attamen, quia loco illi, quantum quidem coniicere liceret, nondum tenaciter adhæſiſſet, præterea verò ſi non perfectè ali-

quo tamen modo (ſiue graduum, ſiue partium, ordine id factum putaremus) partim inediâ, partim ipſa victus ratione, frictionibusq; ac fomentis coctus (vt quidem vulgus medicorum loquitur) videri iam poſſet: pars ipſius aliqua, vt quicquid à purgatione reſiduum Superеſſet, facilius celeriusq; domaretur, detrahi tutò ac ſalubriter poſſet: vel etiam quia, etſi abſolutè crudus adhuc eſſet, nihilo ſecius tamen in ancipiti morbo, cuius ſymptoma horrendum, exitus verò minimè tutus haberetur, ne deterior euaderet, vel laborantem ante morbi ſtatum iugularet, prudentiorum medicorum iudicio & conſenſu, nonnihil eius, cathartico vehementiore (vt ex Hipp. præcepto, extremum extremo morbo remedium adhiberetur) conſtantibus præſertim vtcunque etiamnum viribus in morbi principio atque incremento ad naturæ ipſius imitationem demi omnino deberet.

RESPONSIO.

Cum Simonius fateri nolit, morbum, quo Rex laborauit, Epilepſiam fuiße, ac ſe, poſt ſecundum inſultum, qui nobis certus Epilepſiæ nuntius fuit, mecum, vt validum ipſi exhiberetur catharticum, ideo conſenſiße, ne epilepticus confirmaretur; iam in ratione reddenda, quamobrem conſenſerit, laborat. nam conſenſiße ſe, negare non poteſt; quandoquidem, me dictante, ipſo autem ſcribente, id parari iuſſum eſt. quod etiamnum Recepta (quam vocant) ipſius manu ſcripta, apud Pharmacopolam extans, luculenter teſtatur; ac præterea tum, de ſuo conſenſu datum fuiße, inter aulicos diuulgauit. Itaq; excuſationem quærit, quòd nunc primùm animaduertit, morbo, quem ipſe fingit, parum accommodatũ eße illud pharmacum. Ait ergo, vnam ſe mouiße cogitationem, vt de ualidiore purgatione, decernenda conſentiret. qua vna explicanda, tria aßerit; quæ ſingula ordine nunc & recenſebimus, & confutabimus. Primum eſt. Quòd, etiamſi morbificus humor minus fureret, atq; in vna corporis parte deſidere videretur: tamen loco illi, quantùm quidẽ conijcere liceret, nondum tenaciter hærebat. Verùm dicat mihi Simonius, cur non valentius pharmacum exhibebat, quo tempore mannam exhibuit, ſi nondum tenaciter alicubi humor hærebat morbificus? Deinde quomodo conijcere poterat, nondum tenaciter hærere? Oppoſitum ſanè ex ipſius commentis colligitur. Namq; ait, Regem tertia Decembris, circa ſecundam noctis horam, fuiße ſubita ac graui thoracis oppreßione correptum; & ſe ex pulſu deprehendiße febriculam. die quinta deinde poſt meridiem, & die ſeptima ante meridiem (per tertianarias nimirum acceßiones) cum anticipatione, fingit recurriße malum. Sequente verò nocte, nullo interim commißo errato in cibo & potu, iterum, et grauius, fuiße correptum. Hæc

Simonii cauſa ab ipſo conficta, cur de validiore medicamento Regi dando conſenſerit, diligenter expenditur.

ſanè indicant, humorem, qui morbum faciebat, ea nocte, ſi non priùs, vno in loco hæſiße. Adde, quòd, vt Simonio placet, Rex ipſe poſtea præcordiis ſua ipſius manu ſubinde monſtratis, palam nobis indicabat, ibi latere malum omne; & poſt diem ſeptimum, licèt ob acceptum vulnus plurimũ effluxißet ſanguinis, & a ſumpta Manna aliquantulum purgatus eßet, obſeruaßetq; victum tenuem ſibi a Simonio præſcriptum, nihilominus tamen denuo eadem hora paroxiſmo eſt correptus. Quapropter hæſiße dubio procul aliquo in loco tenaciter morbificus ille humor dicendus eſt, ſi quidẽ nec a ſanguinis copioſa euacuatione, neq; a ventris lenitione quidquam ceßit. Accedit, quòd, cum morbo acuto Regem laboraße dicat Simonius, & habuiße extremas partes corporis frigidas, non potuit id eße abſq; aliqua viſcerũ inflammatione; quemadmodum ait Galenus in com. aph. 1. lib. ſeptimi & com. aph. 48. lib. 4. quare nequaquam pharmacum ſoluens tum exhibere conueniebat; vt Hipp. 4. de rat. vict. acut. docet his verbis. Quicunq; ea, quæ inflammantur, ſtatim, morborum inter initia, medicamento ſoluere conantur, ij non ſolùm ab intenſa inflammataque parte nihil adimunt, cum non cedat obſequaturq́; quæ adhuc cruda eſt affectio: verùm quoque & quæ morbo reſiſtentia & ſana ſunt, abſumunt colliquantq́; : ductoq́; ad imbecillitatem corpore, morbus ſuperior euadit. Sed concedamus, Simonium conijcere potuiße, humorem illum nondum bene aliqua in parte impactum fuiße, & expendamus, vt cætera cohæreant. Morbus is, ſi ad ideam morbi ab Hippocrate delineati redigi debet, fuit morbus acutus; neque id Simonius negat. At Hippocrates quid ait? In morbis acutis rarò & per initia medicamento purgante vtendum, & id cum diligenti præmeditatione. (6. aph. 24.) Vbi Galenus notat, ita initio in morbis acutis purgandum, vt vel prima die, vel non vltra ſecundam. Errauit ergo Simonius, qui poſt ſecundam diem purgationem exhibuit. Præterea notat ibidem Galenus, ægros, qui cruditatibus ex multis, aut lentis, aut craßis, edulijs abundant, pariter quibus ſunt diſtenta hypochondria, vel qui aliqua viſcerum inflammatione laborant, ad purgationes ineptos eße. Vtq; conueniens fiat purgatio, oportere humores eße fluxiles, nulliusq; lentoris participes, dicit; apertos demum reſeratosq; meatus, quorum nihil, ſi Simonio credatur, in Rege erat. Simonius enim ſupra ſcribit; Maieſtatem ſuam fructibus ſemper veſci ſolitam. fructibus, inquit, omnis generis, vuarum, prunorum, ceraſiorum, perſicorum, pirorum, malorum, melopeponũ, nucum auellanarum, iuglandium recentium, tribulorum aquaticorum, Caſtanearum, liberalius intemperantiusq́; quàm credi poſsit, à prandio & à cœna, totoq́; ferme anni tempore Rex veſcebatur.

ſcebatur. Braſsica item capitata cruda, tantumq́; ex muria condita, Raphano, ferè ſemper & quidem largiùs, poſt duorũ triumúe generum fructus, ſumpto, tam prandium quàm cœnam claudebat. Ergo neceßariò cruditatibus abundabat. Ad hæc præcordia, vt fingit Simonius, manu monſtrabat, ſignificabatq; nobis, ibi latere malum omne. Ergo credibile eſt, eum vel tumorem aliquem in viſceribus habuiße, vel ſaltem flatus. Tum ait Simonius, craßitiem morbifici humoris attenuandam, incidendamq́; fuiße, & vicinarum cordi venarum, & arteriarum infarctus recludendos. Ergo humor ille peccans craßus & viſcidus erat. ergo die decima menſis, cum, nondum quidquam iſtorum factum eßet, meatus clauſi erant, per quos purgatio fieri debebat. Nam, hæc facienda, die demum nona a prandio ſe monuiße vult. Quare, dubio procul Rex ineptus fuit ad purgationem, præſertim tam validam; & præter omnia artis præcepta illi, diei decimæ, purgationi conſenſit Simonius. Alterum, quod Simonius aßerit, dum explicat, cur purgationem, quæ exhibita eſt die Mercurij decima menſis Decembris, exhibendam conſentiret, illud eſt, quòd morbificus humor, ſi non perfectè, aliquo tamen modo, partim inediâ, partim ipſa victus ratione, frictionibus, ac fomentis coctus videri poßet. vt pars ipſius aliqua detrahi ſalubriter ac tuto poßet. Expendamus & hoc, quàm bene dictis Simonij reſpondeat. Paulo ante, cum de vino ageret, dixit, ſe ſuaſiße, vt exhiberetur: quia crudior craßiorq́; eßet morbi cauſa. nunc vero ſtatim, quaſi ſui ipſius oblitus, ait, ſe aßenſum fuiße de purgatione: quia morbificum humorem coctum iudicarit. Verùm inferiùs etiam (neque enim hoc vno ſatis ſuam ſe prodidiße ignorantiam putauit) dicit, ſe, inſpectis vrinis eiusdem diei, Mercurij ſcilicet, animaduertiße, illas turbidas & minimè ſubſidentes. Ergo iuxta artis præcepta morbificus humor adhuc crudus erat. Neque inedia illa a Simonio præſcripta ſatis fuerat, ad illum concoquendum. nam ait, ſe Regi conceßiße carnes elixas & aßas, vinumq́; non dilutum ſubauſterum. quod etſi tenue fuiße dicat, Vngaricum tamen fuit; quod reuera nequaquam tenue eſt. Iam talis victus, etiam in minima quantitate exhibitus, dici tenuis non poteſt. vt ex Galeno in com. aph. 4. lib. primi clarè colligitur. Nec frictionibus aut fomentis, ſiccis nempe linteis locis admotis (de alijs enim fomentis non meminit Simonius) concoqui morbificus humor potuit. Nam frictiones fomentaq́; huiusmodi, humorem atrum & craßum (quem ponit Simonius in magnis vaſis concreuiße circum præcordia) fomitem morbi minimè attenuare, incidere, a puro ſanguine ſecernere, ſeparare, & coquere potuerunt; ſed potiùs, humores a centro ad circumferentiam attrahendo, vniuerſum corpus calefaciendo, & partes humorum ſubtiliores in halitum reſoluendo, craßiores reddere. Errat ergo Simonius, exiſti-

nius, existimans, humorem, quem morbi causam statuit, his præsidijs potuiße primis illis diebus ex parte coqui. *Qui si tamen iam ex parte coctus fuißet, forti pharmaco eum purgare tentando, errorem insignem admisißet. namque cathartico vehemente turbanda natura non fuißet; quemadmodum probè docuit Galenus*
Lib. 2. cap 29. *in comm. aph. inquiens,* Cum iam natura concoquit, superfluum est
euacuare, tum propter alia, tum quia vis animalis, magna ex par-
Ad part. 44. te, eo tempore est fatigata. *Et 4. de rat. vict. acut.* Purgationes (*videlicet catharticis vehementioribus*) concoctioni humorum contrariæ existunt; nempe corpus vehementer mouentes frangunt. *Hæc est ergo causa, cur purgationes coctionibus aduersantur. Tertium quod in illa vna sua cogitatione explicanda Simonius aßerit, his verbis exponit,* Vel etiam quia, & si absolutè crudus adhuc esset, nihilo secius tamen, in ancipiti morbo, cuius symptoma horrendum, exitus verò minimè tutus haberetur, ne deterior omnino euaderet, vel laborantem ante morbi statum iugularet, prudentiorum medicorum iudicio & consensu, nonnihil eius, cathartico vehementiore (vt ex Hippocratis præcepto, extremum extremo morbo remedium adhiberetur) constantibus etiam præsertim vtcumque etiamnum viribus, in morbi principio atq; incremento, ad naturæ ipsius imitationem demi omnino deberet. *Quadrupliciter autem hîc errat Simonius. Primò, quod in omni ancipiti morbo (ponit enim Simonius indefinitam propositionem pro vniuersali) cuius symptoma horrendum, exitus minimè tutus habeatur, ne morbus euadat deterior, vel laborantem ante morbi statum iugulet, prudentes medici iudicent, vehementiore cathartico, etiamsi absolutè morbus sit crudus, in principio nonnihil demi debere. Nam hoc perraro, & in paucißimis morbis acutis, idq; diligenti cum præmeditatione, faciendum est; iuxta citatum aphorismum;* In acutis pasſionibus rarò & in principiis medicamentis purgan-
Lib. 1. aph. 24. tibus vtendum, & cum præmeditatione. *Et ibidem notat Galenus in comm. aph. In diuturnis morbis semper maturationem morbi expectandam eße; in acutis verò, cum turget materia, initio etiam purgare licere. At verò, vt turgeat materia, id perrarò contingere solet. ergo perrarò etiam purgandum. Secundò errat, addens, licere purgare in morbi incremento, cruda existente materia craßa, atque vijs obstructis, in morbo, cui coniuncta sit febris, vt ipse hîc factum eße, apertè contendit. si quidem nunquam prudentes medici cathartico vehemente id tentabunt, scientes, vt inquit Galenus, tunc purgationes fieri difficiles, non sine*
2. aph com. aph. 9. *torminibus, & quadam vertigine fastidioq; multo, & malo pulsu, ac dißolutione.*

& difficul-

& difficultate; & hos ad purgandum ineptos eße. vtq; alibi monet, coctionem 4 de rat. vict ad part. 44.
impediri, in longumq; morbum protrahi. Et Auicenna expreßè ait, Apud sta- Lib. 4 fen. 1. tract.
tum ne moueas aliquid, donec natura vincat, & digerat. *Tertiò er-* 2. cap. 7.
rat Hippocratis sententiam malè intelligens. nam putat, in ancipiti morbo cuius symptoma horrendum est, nempe in febre syncopali, absolutè crudo existente morbifico humore, nonnihil cathartico demendum, quòd Hippocrates dicat, Extremis morbis extrema præsidia adhibenda eße. At non est extremum præsidium nonnihil demere. sed totum tollere radicitus. Quartò & postremò errat, cum scribit, in morbi principio atque augmento, & si absolutè crudus adhuc eßet morbificus humor, nihilo secius tamen nonnihil eius cathartico vehementiore ad naturæ ipsius imitationem demi debere. & prodit, se a paucis annis (vt reuera est) medicam exercuiße artem, oblitumq; prorsus eorum eße, quæ a Galeno in libris de crisibus scripta sunt, atque in comm. aph. vbi ait. Quando incipit morbus, Lib. 4. aph. 28.
si quid excernitur, nihil tamen naturæ ratione; sed sunt omnia hæc præter naturam earum, quæ sunt in corpore dispositionum. quo enim tempore a causis quidem morbos facientibus natura grauatur (adest autem cruditas humorum) tunc aliquid bene euacuari est impoſsibile. *Poßem alia adducere Galeni, & doctißimorum quorumque medicorum dicta ac testimonia confirmantia, in principio morbi atque augmento, naturam, humore absolutè crudo existente, nihil rectè euacuare poße. Sed ita rebus se habentibus, tantùm ad mortem & ad malos absceßus euacuare solere; idq; à morbo coactam. Verùm res hæc clarior est, quàm vt multis explicari debeat. Apparet ergo, quàm ineptè ratiocinetur Simonius, & quàm egregiè sua vbique figmenta prodat.*

SIMONIVS.

Præscribitur ergo, Bucella ipso dictante, catharticum sequen- LV.
te mane offerendum, ex drachmis duabus pilularum cocciarum, & granis plus minus quatuor extracti hellebori, vnà dissoluendis (hac enim apparatum forma, & nō alia sibi exhiberi voluit Rex) ex aqua lauendulæ cum aquæ Cinnamomi tantillo.

RESPONSIO.

Insinuat hæc Simonius, ac si me accusare vellet: cum tamen quemadmodum ipse hîc faßus est, in hoc cathartico dando consenserit; immo, quemadmodum diximus, cum ipse, me dictante, id Pharmacopolæ parandum descripserit. Et non pudet tamen eum, morbum, quo Rex laborauit, vocare acutum, ex putrescente humore atro craßo in magnis venis circa præcordia ortum; cum ipsemet conceßiße se fateatur, vt pharmacum Regi offerretur, quod ex drachmis duabus maßæ pi-

lularum

lularum cocchiarum conſtabat. quæ inter omnes pilulas vſitatas, ex correctiuis (quæ vocantur) cor & os ventriculi aduerſus ſolutiuorum iniurias, confortantibus, minimum aßumunt: immo affatim colocynthidem atque ſcammonium recipiunt, ori ventriculi, atque cordi, teſte Meſue, valde inimica. Scammonium, bilem
Lib. de ſimpl. flauam; colocynthis verò vnà cum Turbith, quod ſimiliter recipiunt, craßam pituitam potentißimè educit. Sed quid potuerunt hæc iuuare, ſi, vt Simonius ſtatuit, humor peccans, erat ater ſanguis in maioribus vaſis concretus? Quid ergo ineptius, quid ſtolidius, quid minùs ad talem affectum conueniens? Profectò ſi talis fuißet morbus, qualem in hoc ſuo ſcripto finxit Simonius (febris ſcilicet non intermittens cum animi deliquio) &, tota præcedente nocte, ſomnus leuis atque interturbatus fuißet, a quo virium nullum leuamen ſequutum eßet, & ſitis aucta; & pulſus manifeſtè intermittens, oppreßioq́; thoracis, & moleſtia, ob hypochondriorum diſtenſionem, adfuißet; humore præſertim abſolutè crudo exiſtentes (Nam Simonius in hoc quoque caſu eiuſmodi pharmacum probat) tale exhibere pharmacum, nihil aliud fuißet, quàm Regem ipſum datâ operâ & conſultò necare. Medicus verò aliquis doloſus, volens loco medicamenti lethale exhibere venenum, nullum potuißet aptius excogitare. Et miſer iſte, vt ſuum excuſet peccatum, quòd in principio epileptici morbi Regi vinum conceßerit, non dubitat ſe reum mortis ipſius facere, ſuamq́;, in praxi medendi, inſcitiam omnibus declarare.

SIMONIVS.

LVI. Vini loco, pro potu, eiuſdem conſilio, aqua decernitur, in cuius libra vna, Cinnamomi vncia (obſeruent hoc medici & miſereantur fortunæ Regis) maceranda eſſet, addito ad guſtum ſaccharo.

RESPONSIO.

Neceße eſt, qui ſemel egreßus fuerit limites verecundiæ, eum bene & nauiter eße impudentem. Hoc ſtudet Simonius. ideo nihil mirum, ſi, cum ipſe vnus aquam ex infuſione Cinamomi præſcripſerit, mihi deinde hoc imputet. Verùm in Pharmacopolæ libris ſiue regiſtris (vt vocant) apparet, die Lunæ, antequam ipſe ex meo prædio ad Regem rediјßem, a Simonio vnà cum Manna aquam ex maceratione Cinamomi fuiße præſcriptam. Cum igitur dicat nimonius, me non niſi die Martis aduenіße, & aßerat, meo conſilio aquam fuiße decretam, quis tam bardus eſt, qui non videat, hoc vnum affectare Simonium, vt impudentißimus habeatur?

Veritas actorum diei Martis.

Cum tota nocte apud Sereniſsimum Regem vigilaßem, ſummo manè diei Martis, cum iam in aulam Simonius reuerſus eßet, in hoſpitium me contuli. Rex tum

conſeruam

conſeruam (vt loquuntur) florum perſicorum, me abſente, ſumpſit; quæ, non ſecus ac Manna, nihil eduxit. Rediј paulò ante prandium; nec quicquam cum Simonio contuli, confidens, ex ijs, quæ inter nos acta erant, fore, vt a me Simonius non diſcreparet. At verò in prandio, cum ego aquæ præparatæ potum Regi ſuaderem, illico mecum altercari cœpit. ac, tametſi Rex, videns inter nos non conuenire, multum commouebatur; hoc tamen ipſe parum curans, ludebat, me proponere aquam dicens, quia eßem ſemiabſtemius. Regi igitur tandem perſuaſit. Nam cum vulnus ei prorſus non doleret, nec calorem vllum præter naturam ſentiret, neque mihi morbum nominare liceret, nimirum (ne eum terrerem) non intelligebat Rex, quam ipſi ob cauſam vinum nocere poßet. Bibit ergo Rex vinum potens Vngaricum; comeditq́; non multum hordei, aliquantulum pulpæ capi, vitulinæq́; aßaturæ, & ceraſia in vino cocta. Diem deinde ſatis commodè tranſegit. In cœna quoque vinum voluit. Sed, hauſtis duobus vini non magnis poculis, quòd quàm ægrè id ferrem animaduerteret, deinde ex infuſione Cinamomi bibit. Cœnati & nos ſumus cum Veſelino. A cœna curato deligatoq́; vulnere, cum iam Rex diceret ſe putare, facilè ſe ſomnum capere poße, Simonius, diſceßurus, eum blandis verbis confirmare tentauit; Rex autem veluti indignabundus excepit. ac ſtatim ecce conuellitur, pedibusq́; extra lectum porrectis, quaſi ſurgere animus eßet, tranſuerſus cadit ſupra ipſum lectum, retorto collo, oculis ſurſum verſis. Ego ſtatim pedibus, Veſelinus verò capite apprehenſo, eum reuocare conamur. Simonius ſtupore apprehenſus, ex abundantia cordis, Verè, inquit, non opus eſt vino. captoq́; argenteo vaſe, in quo Rex manus lauerat, aquâ Regis faciem inſperſit, lacertos præterea ipſius & manus madefecit. Ac, dum Regem crinibus, naribus, & digitis trahimus, torquemus, vellicamus, Rex, ad ſe reuerſus, in nos fixis oculis intuens, quid facitis? ait. Mox grauiter reſpirare cœpit. Iubeo ſtatim adferri calida lintea. Cumq́; frictionibus ſolis non videretur facilior reddi ſpiratio; cucurbitulis vitreis hypochondriјs admotis, & frictionibus, dorſi præſertim, iteratis, ceßauit tandem omnis inſpirandi difficultas. nec multò poſt, quaſi feßus, dormiuit. Tunc, Simonio mecum in proximum hypocauſtum abducto, linguâ Italicâ nobis communi eum admonui, paroxiſmum hunc omnino fuiße epilepticum. nam oculorum muſculi, mandibularum, & colli, apertißimè conuulſi erant. &, niſi morbi confirmationem anteuerteremus, fore, vt vniuerſum corpus conuelleretur. Itaque non eße cunctandum; ſed potens medicamentum a capite euacuans ſtatim exhibendum. cum præſertim anhelitus ſuccederet difficultas; quæ capitis magnam indicaret repletionem. Oriri enim eam a materia, meo quidem iudicio, tenui potiùs mordicanteq́;, quàm craßa viſcida'ue; cuius tenuior ſaltem pars vi paroxiſmi per ſpinam a

i cerebro ad

cerebro ad neruos thoracis musculis inseruientes transmitteretur. Meâ igitur sententiâ die sequente, quòd magna vrgeret necessitas, etiamsi dies coniunctionis Lunæ esset (neque enim, magno imminente periculo, est id obseruandum, quod antiqui præstantiores Medici non obseruarunt) medicamentum exhibendum esse; vt altera die deinceps statim, ante tertium paroxismum (alternis enim diebus, vt cœperant, hos insultus futuros metuebamus) sanguis per cucurbitulas mitti posset, & caput demum roborari, ne Rex epilepticus fieret, tantusq; videlicet morbus in eo confirmaretur. Nihil ad hæc respondit Simonius. sed, calamo arrepto, quid ergo illi exhibebimus? inquit. Tum, sic me dictante, scripsit.

℞. pil. cocchiarum ʒ. ij.
Elleb. nigri gr. v.

Verùm, hæc deinde iussimus dissolui in aqua liliorum conuallium; quia Regem sciebamus a pilulis abhorrere. Nocte illa parum placida Rex vsus est. sed nulla tamen febris aderat. Vterque autem nostrum tota ea nocte apud Regem nostrum vigilauimus.

Die Mercurij.10. Decembris.

SIMONIVS.

LVII. Cum itaque manè potionem illam, horrenda odoris ac saporis insuauitate concussus Rex, vno gulæ hiatu haurire uoluisset, non potuit tamen. Residuum itaque detersis iam è gula & faucibus, deiectisq; austero vino, reliquiis, exhaurire noluit, Eapropter vtilis quidem, sed obscura tamen & leuiter conferens, inde sequuta purgatio est. Deiectiones non copia æstimandas esse, rectissimè Hippocrates docuit aph. 23. lib. 1. Ergo quia cum fæcibus, crudioreq; illa colluuie, quæ in intestinis & circum mesenterium exuperabat, atri humoris qui morbi fomes erat, deiectum est exiguum aliquid (huc spectat illud Hippocratis: Qualia deiici oportet, &c.) non magnopere se ex eo leuatum Rex percepit.

RESPONSIO.

Quia Rex, prædicto medicamento sumpto, nihilominus (quòd vino vsus esset) denuo paroxismo correptus est, ne vino, vel etiam pharmaco, quod dandum ipse consenserat, hoc adscribatur, culpam in id reijcit, quòd totum pharmacum non hauserit. Ait ergo, Regem non magnopere leuatum, quia exiguum tantùm atri humoris, qui morbi fomes erat, euacuatum est. Sed cur exiguum? an quia totum medicamentum non hauserat? non sanè. sed quia in eo medicamento exiguum fuit Ellebori, quod solum ex ijs, vnde compositũ est, humorem illum atrũ, seu atram bilem euacuare valet.

Simonius frustra, totum pharmacum a Rege epotum non fuisse, causari ostenditur.

non enim ad atram bilem euacuandam fuit medicamentum illud exhibitum; sed ad pituitam potissimùm. Miser iste a pilulis cocchijs atri humoris plurimum euacuari posse putat. miser, inquam, qui nescit cocchias pilulas non hunc propriè humorem, sed crassam pituitam & flauam bilem educere. Cæterùm si ideo Rex hoc medicamentum exhaurire totum non potuit, quòd horrendum odore & sapore inuenisset, quomodo id iterum ipsius Regis consensu a nobis repetitum, & ab ipso sumptum fuit? nunquid in toto Regio Pharmacopolio aliud nihil erat, quod atrum euacuaret humorem, quàm pilularum cocchiarum massa? Verùm Rex natura, quemadmodum abhorrebat multum a dulcibus, sic amaris non admodum offendebatur. immo, oblectationis causâ, non raro in vino ipso absinthite, adhuc absinthiũ viride modicè contusum macerabat. ex quo potio talis fiebat, quam non quilibet gustare potuisset. Sed ipse tamen suauissimè hauriebat. Adhæc prudens ac fortis erat. vt, quicquid semel faciendum decreuisset, intrepidè etiam perficeret Ideo, quicquid fingat Simonius, totum Rex medicamentum hausit. & iuuisset non mediocriter, si a vino abstinuisset. Nam consecuta est sitis; quæ, vbi a purgatione existit, non leue absolutæ purgationis (vt ait Hippocrates) indicium est. 1. aph. 19.

SIMONIVS.

Potus, atque is vrgente acrius, quàm vnquam antea siti, liberalis, Aqua. LIIX.

RESPONSIO.

Vtinam verò aquam bibisset, viueret sanè clementissimus dominus meus. Sed tu, miserrime omnium, tu, inquam, qui quiduis aliud potiùs, nouisti, quàmm ederi, & verum dicere, ipsi, quicquid contrà asseueres, bibendum & suasisti & exhibuisti generosum, idq; antiquum, Vngaricum vinum. Hoc omnes norunt; hocq; ego facilimè probare possum. sed tu, quòd aquam ex infusione Cinnamomi die Mercurij Rex biberit, nullo potes testimonio confirmare. Testabitur autem Pharmacopola, pro die Mercurij neque iussam a quoquam, neque acceptam fuisse aquam ex infusione Cinnamomi; sed a me iussam, & a se delatam aquam ex decoctione Saluiæ; ex qua cum Rex nihil bibisset, totam retulerit. Testabitur & dominus Andreas Choruat, vinum Regium antiquum certè & generosum, (quod alioqui iniussu Regio haurire, nefas & insolens erat) Regi tunc temporis; aliud verò nobis, & aliud cubiculariis allatum esse. Testabuntur demum cubicularij, non aquã, non decoctum, sed vinum tantùm tuo consilio, a Rege fuisse epotum; quæ causa acceleratæ mortis ipsius fuit. Consultius omnino fuisset rebus tuis, silere potiùs, quàm te mendacijs excusare, meq; cogere, vt nefandum tuum crimen, & crassam tuam in medendo ignorantiam audaciamq; detegerem. Ego enim lubens abstinuissem, & nunc permuitus id facio. Sed quando meam tu famam, & existimationem

Refutatur commentum Simonii, quod Rex die Mercurii aquam biberit.

oppugnare contendis, non erit iniurium, si mea lege vtar, & si ea te via cepero, qua me captas.

SIMONIVS.

LIX. Dyspnœæ consultum me authore, cucurbitulis, lumborum potissimum partibus, ad quas Diaphragma peruenit, & pulmonis portio, subinde applicitis, vt mali causa, prōptissime reuelleretur

RESPONSIO.

Quòd ad dyspnœam remouēdam cucurbitulæ nec applicatæ Regi fuerint, nec, si fuissent quidquam conduxissent.

Hæc verba in manu scriptis exemplaribus Varsauiæ a Simonio euulgatis, non habentur. Sed, postquam Simonius legit examen Epistolæ Chiakoris, in quo doctus ille vir negligentiæ Simonium accusat, qui, cum morbum illum asthma iudicasset, nullo tamen topico medicamēto ad asthma leniendum vsus sit, inseruit hæc verba Simonius, putans rationibus suis iri consultum, si scriberet, aliquid suo iussu in hunc finem tam administratum fuisse. Ait ergo, cucurbitulas lumbis subinde applicatas fuisse, ad dispnœæ causam promptissimè reuellendam; licèt id ita factum non fuerit. Verùm expendamus, quæso, quid potuisset hoc remedium iuuare. Dyspnœæ duas causas superiùs posuit, vnam tempore præcedentem, adstrictum scilicet pectus (quæ pars ossea & cartilaginea est) frigoris vi, læsis per se alioquin respirationis organis. Alteram verò potiorem, nempe crassum copiosumq; vaporem, ex crassi atriq; humoris in magna arteria cauaq; vena concreti, lentâ, sed continuâ efferuescentiâ, pulmonum arterias obstruentem, & septum transuersum distendentem. Ad primam causam reuellendam, cucurbitulæ lumbis subinde applicatæ nihil potuissent prodesse, immo potiùs obfuissent. Nam ab anterioribus partibus ad posteriores sanguinem reuocando, anteriores vi frigoris læsas, magis calore denudatas torpentesq; reliquissent, motuiq; ineptiores reddidissent. Ad secundam causam reuellendam quæ dyspnœam ob diaphragmatis distensionem intulisse fingitur, in alio quopiam adiumento esse fortè potuissent. at in nostro Rege nequaquam; quòd carnoso, succi pleno, & vtcunque pingui corpore esset. quid enim in tanta partium distantia extrahere vel reuellere ab ea diaphragmatis portiuncula, quæ versus lumbos exporrecta est, potuissent subinde applicatæ cucurbitulæ? & quanto cum Regis incommodo? a pulmonibus sanè nihil prorsus. At ignarus fabricæ humanæ Simonius, cum primùm hæc de cucurbitulis addere in animum induxit, Galenum de anatomicis administrationibus fortè consuluit; vbi legens de quinto pulmonum lobulo cauæ venæ substrato, & versus lumbos exporrecto, putauit se rectè posse adnotare, pulmonis portionem ad lumbos peruenire. Sed in simijs in quibus Galenus, & ipse fortè Simonius, se exercuit, hic lobus adest; ad lumbos tamen vsq; non peruenit. in hominibus verò non adest, in quibus ideo longiùs distant pulmones a lumbis, qui quàm rarissimè iuxta spinam membranæ subcingenti

adnectuntur. Quapropter in corpore tali carnoso, pingui, millies applicatæ lumbis cucurbitulæ, ne tantillum quidem a pulmonum obstructis arterijs, quæ a basi cordi proueniunt, reuellere potuissent. At Simonio authore, egregiè, si dijs placet, consultum dyspnœæ fuit, vt mali causa promptissimè reuelleretur, subinde lumbis applicatis cucurbitulis. Verùm, si quidem applicatæ fuerunt, quis quæso eas applicuit? Nō sanè tu. nam cur non etiam die Iouis manè eas, & si in alium vsum, applicuisses. Nunquid igitur Ioannes Chirurgus, qui eas die Iouis applicuit, quiq; a Regia Maiestate annuum accipiebat stipendium, vt mihi in operationibus hisce chirurgicis inseruiret, num, inquam, is tum fortè applicuit? At enim ipse id constanter negat. Sed si promptissimè morbi causam reuellebant, cur non identidem repetitæ fuerunt die Iouis, & potissimùm Veneris, quo die, te teste, suffocatus Rex moriebatur? Non habes sanè quid respondeas. Præterea manè diei Mercurij fuisse appositas affirmare minimè potes. nimis siquidem graue erratum fuisset, ab exhibito per os purgante medicamento, antequam purgasset, vel in ipso purgationis tempore, lumbis sæpe applicare cucurbitulas. Sed neque a prandio. nam a prandio dyspnœam Rex non est passus. Et Reuerendissimus Episcopus Premisliensis Regni Procancellarius, qui die Mercurij duas & ampliùs horas, post prandium, apud Regiam Maiestatem fuit, semper testabitur, Regem id temporis, nulla cum difficultate respirasse; firma voce atque libera, æquè ac sanum, locutum fuisse; & affirmasse præterea, se tantūmodo ob impedimentum cruris decumbere. Ergo nec dyspnœam passus est Rex eo tempore. nec cucurbitulæ ei fuerunt applicatæ. quòd si passus fuisset, applicatæ tamen omnino non iuuissent.

SIMONIVS.

Hora circiter noctis tertia, nouus paroxismus (erat is quartus) LX.
eadem cum animi defectione, extremis summisq; partibus corporis frigentibus, fronte ac temporibus frigido sudore madentibus: facie pallente, pulsu raro, obscuroq;, nulla vel minima conuulsoriæ motionis nota, comitatus. Accurrit Bucella cum vase ligneo, aquæ gelidæ pleno: qua immergit Regis brachia, eiusdemq; faciem inspergit (legitima scilicet artificiosaq; fuit hæc Epileptici suscitandi ratio) accurrit & Ferenz Veselinus: qui Regis caput sinistro brachio comprehensum, quasi è corporis trunco euulsurus, hinc inde mirandum in modum succutit atque contorquet: dextra verò manu Regi, quasi sibi nihil esset, confusa voce significanti, ac recusanti, imò verò & manibus ipsis à se procul arcenti diductis per vim mandibulis, quas Rex ipse volens contrahebat,

aquam Cinnamomi stillatitiam in os indit. Accurro ego cum Lepscenio, linteisq́; calentibus artus foueo. Vbi ad se rediisset ipsius Maiestas continere me non potui, quin Ferenz Veselino in os dicerem: modum illum Asinis aut Bobus, &c.

RESPONIO.

Simonius, quod ineptè ipse fecit, Buccellæ tribuisse arguitur, & interim aliorum mendaciorum conuincitur.

Lib. 2. ep. pen.

Ita'ne Simoni, vt quæ tu ipse fecisti, alteri adscribas? O confidentissimum caput. mirum tibi terram non dehiscere. Ecquis audeat cum tam impudente homine agere; qui non solùm, quæ facta sunt, neget, &, quæ nunquam cogitata fuerunt, facta dicat; sed etiam quæ ipse malè fecerit, alijs imputare audeat? id mihi, & peius, cum isto accidit, quod Ciceroni cum Bibulo, de quo conquerens in Epist. fam. sic scribit; Nam ad senatum quas Bibulus literas misit, in ijs, quod mihi cum illo erat commune, sibi soli attribuit; quod autem meum erat proprium, id etiam populo se remisisse scribit; quod verò illius erat solius, id mecum communicat. *Verùm pulchrè sanè dictum est, Mendacium vitro transparentius esse. Non potuit Simonij falsa narratio eius arte vlla ita latere, quin aliquid quò fidem mendacio conciliaret, ab ipso additum totam eam falsam & fictam esse, proderet. Fingit hîc Simonius paroxismum, eadem quæ, antea fuerat, cum animi defectione; extremis summisq́; partibus corporis frigentibus; fronte ac temporibus frigido sudore madentibus. Et inferiùs notat, quamdiu durauerit; inquiens de eo,* nec ipse in decimam quadrantis horæ partem, aliorum instar perseuerans. *Heus Simoni, si ad tam exiguum temporis spatium perseuerauit paroxismus, vt reuera Epilepticis illis paroxismus semper contingebat quomodo obseruare potuisti, me, interim vt tu quidem fingis, brachia Regis immergente, eiusdemq́; faciem frigida inspergente, vi paroxismi extremas corporis partes friguisse; frontem ac tempora frigido sudore maduisse; ac non potiùs id ex frigiditate & madore aquæ contigisse? In vase ligneo, dicis, aquam me accepisse. Sed vbi istud ligneum vas erat? In Regio certè cubiculo nunquā quidquam tale conspiciebatur. Quid ergo? a ianitoribus ne forte accepi, qui iam dormiebant, quosq́; alloqui minimè poteram, vt pote qui linguam cum ipsis non habeam communem? Profectò pudet in his Simonij mendacijs refellendis adeò immorari. Ego sanè, cum de improuiso Rex corriperetur, neque nobis odoramenta & suffumigia suppeterent, cum tractione digitorum, aliarumq́; partium vellicatione, simulq; clamore conatus sum reuocare. Sed bonus Simonius, qui primum paroxismum nihili fecerat, neque putabat, reuersurum die Martis, nec die Mercurij; cum Regem iterum correptum videret, perterritus, nesciuit quidquam aliud agere, quàm (vt ipse de me narrat) aquâ manus Regis lauare, & ei faciem inspergere.*

Id quod agnoscens ineptè factum, nunquam ampliùs fecit. Nunc verò in me id reijcit; ac de se ait; Accurro, linteisq́; calentibus artus foueo. *Capitulum lepidissimum calidis linteis fouet artus; magnum sane & memorabile præsidium. O secula, O medicum. Quis te Epilepticos siue Syncope apprehensos, ita excitare docuit? Ineptissime, qui nec primordia artis calles, communiaq; in his casibus ab omnibus probata & vsurpata remedia nescis. Quod addis de mandibulis a Rege sponte contractis, egregiè quoq; tuam ignorantiam prodit, qui ea, quæ in paroxismo ipso acciderunt, post paroxismum, vt videris, facta fuisse refers.*

SIMONIVS.

Fuit, vt dixi, quartus hic insultus: qui secundo cum molestiæ le- LXI.
nitate, tum accessionis hora respondit: tertio & primo mitior (quod tamen non ex periodi ratione: sed ex aquæ vsu accidisse, Veselinus à Magistro Bucella edoctus dictitabat) nec ipse in decimam quadrantis horæ partem aliorum instar perseuerans.

RESPONSIO.

Cur Simonius, Buccellam Regi die Lunæ non adfuisse, finxerit.

Tertius, non quartus hic morbi insultus fuit qui non ex aquæ, (aquam enim Rex non biberat,) sed ex vini generosi potu accessit. Si enim vinum Rex non bibisset, alternis tantùm, vt cœperat, vicibus eum morbi insultus impetijsset. quod ita Simonium torquet, vt nihil sibi non fingendum duxerit, dum id tenebris quodammodo inuoluat, & implicet. Finxit ideo priùs, me die Lunæ, quæ secunda fuit morbi, Regi non adfuisse, seq; obseruasse, Regem tum secundo insultu, cui iste scilicet respondeat, fuisse correptum. hîc vero repetit, quartum fuisse hunc morbi insultum, vt morbum singulis diebus recurrisse, magis persuadeat. Verùm omnes aulici norunt (vt supra diximus) me die Lunæ ad aulam accessisse, & ipse probè meminisse potest Simonius, me valde doluisse, cum paroxismum anteuertere animaduerterem, cumq́; ipse contenderet, id ex motu nouilunij accidisse, me apertissimè ipsi dixisse, non in nouiluniū, sed in vinum, quod Rex biberat, culpam esse reijciendam; & adeò contendisse, vt ipsum tandem in meam sententiam pertraxerim; nempe vt sequente die non vinum, sed aqua ex Hyssopi decoctione, vel alicuius alterius herbæ, quæ caput roboraret, Regiq́; placeret, ipsi ad potum exhiberetur.

SIMONIVS.

Hic vltro placidè Bucellam compello: vrgeoq́;, vt qualem nam tandem epileptici morbi notam, in quarta ista accessione potuisset animaduertere, mihi quoque qui nullam deprehendissem, indicare vellet. Respondit: Quòd non dixerit, quòd illa esset Epilensia perfecta, sed quandam speciem de Epilensia. Et quòd cognouit

gnouit ante multos annos vnam mulierem (multa ille vbique & semper eiusmodi exempla in promptu habet, quæ ex plenipotente marsupio suæ phantasiæ, ad empiricos quosque Quodlibetos suos bona fide confirmandos, promere consueuit) quæ per aliquot vices, quando sedebat, & faciebat, aut laborabat aliquid cum manibus, ita paulatine ac paulatine, quasi dormiret, cadebat cum capite super mensa, sine vlla tremolatione membrorum: & postea post paruulinum tempus, iterum resuscitabat, quasi si non haberet nihil.

RESPONSIO.

Qui mores Simonij nouit, scit quantopere is dicterijs, scommatis, & iocis delectetur. qua in re tantùm profecit, vt multis hoc nomine, magis quàm Medicinæ, Philosophiæ'ue, aut cuiuscumque alterius facultatis, carus sit. Sed non contendam sanè propterea in his ipsum imitari. Legit forte Simonius in Antidotario Nicolai, in Articella, & eiusmodi libris, quos superior ætas nostra doctior, at minùs culta tamen, tulit; Epilensiæ nomen, & Epilenticos, & Tremolationem, Paulatine, & huiusmodi alias barbaras voces; quas, vt aliquid verisimile dicat, a me, hoc est ab homine verborum cultum minimè curiosiùs sectante, vsurpatas esse, nititur persuadere. Sed quamuis (fateor) haud eleganter, non tamen ita barbarè loquor, vt ipse fingit. Et licèt orationis ornatum non affectauerim, non tamen prorsus contempsi. nec iure reprehendi quemquam posse putaui, qui, cum Medicus esse cupiat, medendi pluris, quàm dicendi artem faciat. quando, vt Celsus ait, Morbi non eloquentiâ, sed remediis curantur. *At enim bonus Simonius, arte neglecta, in verbis substitit; vt propterea minimè mirum sit, si ægrotis nulla præsidia ferre, & nihil nisi verba dare sciat. Huiusmodi eius irrisionibus non conabor ampliùs respondere, ne frustra tempus conteram. nec, quidquid de me dixerit Simonius, quidquam ero sollicitus. Nam & omnes norunt, me non ita crassè loqui, vt ipse loquentem inducit; & cum ipso, qui Italus est, non est verisimile, cum nulla alioqui eius rei necessitas esset, me hominem Italum, aliâ, quàm Italicâ, linguâ locutum.*

SIMONIVS.

LXIII. Tum audiente Lepscenio, disertè ac palàm testatus sum Deum, illiusmodi curandi rationem, quæ secum etiam ipsa pugnaret, in certum vitæ discrimen adducturam Regem, cui maximè opitulari vellemus, Vires aquæ vsu attenuatas, impetum morbi si quis grauiùs deinde ingrueret (fuit hoc tum meum præsagium, ita mihi familiæq; meæ sit propitius Deus.) minimè perlaturas.

RESPON-

RESPONSIO.

Nihil vnquam tale ex te audisse se, dicet Lepscenius. Sed tu ipsum adhibes in testimonium, quia fore putas vt quomodo res gesta fuerit non omnino recordetur. Nam, vtpote domino suo fidelissimus, in ijs semper totus fuit, quæ erant sui muneris, nec, quales haberentur sermones, attendebat. Cuius vt aucupareris gratiam, in laudem ipsius, huic in paralipomenis periodo, Tertius fuit Stephanus Lepscenius nobilis vngarus, cubicularius Adolescens, *hæc sequentia verba in manu scripto exemplari addideras;* Regi ob modestiam, quotidianamq; assiduitatem valde charus, qui me hercle serui fidelis ac liberalis, vt alias, ita in hac quoque cura impleuit officium. *Quæ postea in impresso, cum videres, eum, pro veritate, contra te stare, omisisti. Verùm quale'nam erat istud tuum præsagium,* Vires aquæ vsu attenuatas, impetum morbi non perlaturas? *Anne aqua ex infusione Cinnamomi, si a Rege epota fuisset, tã breui tempore ita eius vires attenuare valuisset, vt impetum ferre nequiuissent; cum adeò robustus fuerit, vt, etiamsi, quamdiu ægrotauit, nihil comedisset, nec bibisset, non tamen præ virium imbecillitate mori potuisset? Ac* DEVM *interim nihilominus obtestatur Simonius; quasi crederet, Deum eorum, quæ sub Luna fiunt, curam gerere.*

Regii corporis vires potu aquæ nimium attenuari non potuisse.

SIMONIVS.

Materiam morbificam inde crassiorem, minusq; fluxilem, & pertinaciorem, morbumq; adeò ipsum crudiorem reddi: abdomen impleri, ac distendi, (de quo etiam Rex ipse nobiscum conquerebatur) non vrinam promoueri, non sudorem prolici, non conciliari somnum. LXIV.

RESPONSIO.

Cum materia morbifica, iuxta Simonij sententiam, sit humor ater crassusq; in vena caua, & arteria magna concretus, detentusq;; nescio, qua motus ratione, Simonius dixit, eam ex aqua crassiorem & minùs fluxilem reddi posse. Nam, & si per accidens aqua simplex, quòd a calore naturali non facilè superetur, pituitosos crassosq; in corpore humores videlicet gignere cõsueuit; tamen aqua, de qua lis est, quam semel, die Lunæ, in cœna Rex bibit, a Cinnamomo correcta, pituitosos humores gignere non poterat, & ipsum crassum humorem, si in maioribus vasis extitisset, omnino tenuiorem reddidisset. Et vix non etiam simplex id effecisset. Siquidem, authore Aristotele, subtilissimum omnium humorum aqua est, quæ sola humidorum a calore non incrassatur. Epota igitur, simulac vi Cinnamomi ad magnam arteriam per mesaraicas arterias, & ad venam cauam per venam portarum transmissa peruenisset, cum humore crasso atro feruente commista, eum

Materiam morbificam, qualem in Rege fingit Simonius, vsu aquę, præsertim ex infusione Cinnamomi, minimè crassiorem reddi potuisse.

4. Meteor. 4.
2. de generat. animal. cap. 4.

prorſus tenuiorem reddidiſſet. nec quiſquam ita rerum omnium ignarus eſt, qui non intelligat, quemcunque craſſum humorem, ſiue mel, ſiue tartarum, ſiue etiam terebinthina ſit, aquæ vel ſimplicis admixtione tenuiorem ac fluxibiliorem reddi. Quare aqua, præſertim talis, qualis Regi exhibita fuit, eam morbificam materiam attenuaſſet. Galenus 7. de ſimpl. medicamentorum facultatibus ait, Caſſiam (hæc autem eſt vulgare noſtrum Cinamomum) tenuium admodum eſſe partium, incidere & digerere, & mulierum menſibus mouendis idoneam eſſe, cum a copia & craſſitie ſupprimuntur. Hunc ergo fictitium Simonij humorem, atrum, craſſum, concretum, mouere & amoliri potuiſſet. Accedit, quòd, cum ponat Simonius, materiam morbificam per certas periodos concepiſſe feruorem, & turſiſſe, & malignos in cor halitus tranſmiſiſſe, aqua multò magis, quàm vinum, conueniſſet. Nam, ſi aquæ nomine ſimplicem aquam intelligit, cum eiuſmodi aqua ſit ſuâ naturâ frigida, feruorem illum hæc, ſi quæ res alia, extinguere potuiſſet. Sin verò aquam ex Cinnamoni infuſione; neque hæc noxia fuiſſet. nam & Cinnamomum, cum ſit ex odoratis, cor roborat, & in illa infuſione aqua Cinnamomum ſuperabat. (nam in quatuor aquæ libris, tres tantùm, non autem quatuor, vt Simonius ſupra affirmauit, Cinnamomi vnciæ erant) vt propterea feruorem illum moderari ac temperare ſua frigiditate potuerit. Ex quo non pertinacior crudiorq;, ſed remiſſior mitiorq; morbus redditus eſſet. Verùm videri hoc alicui poſſet Foris ſapere: quãdo nec morbus talis fuit, qualem Simonius finxit; & vinum Vngaricum, non autem aquam ſimplicem, aut ex infuſione Cinnamomi Rex bibit; nec, ſi bibiſſet, ipſe præſcripſi, aut monui; ſed ſolus Simonius. cogimur tamen cum iſto mendacium Principe ſic agere. Sed pergamus.

Abdomen impleri & diſtendi. (de quo etiam nobiſcum Rex ipſe conquerebatur)

Fabulæ. Aqua, quam ponit Simonius bibiſſe Regem, accipiebat vnciam Cinamomi in ſingulas libras & præterea aliquid ſacchari; quapropter vi Cinnamomi & ſacchari penetrans ac facilè tranſiens non potuiſſet abdomen implere. Ad hæc Rex conſueuerat aliàs, per integras ſeptimanas, aquam interdum, in quam minùs Cinnamomi infundebatur, bibere, id quod Pharmacopolæ libri teſtantur; & tamẽ nullæ vnquam de diſtenſione abdominis querelæ erant. Sed ſi tamen conqueſtus nunc eſt, Simoni, cur nullis inunctionibus, nullis fomentationibus ei opitulatus es? Verùm perpẽdamus (quæſo te) hæc diligẽtiùs. Die Lunæ, et Martis Rex, (ſic te ipſo Simonio ponente) vinum bibit. Die autem Mercurij, quo medicamentum ſumpſit & purgatus eſt, aquam ex infuſione Cinnamomi primùm bibere cœpit, (vtinam verò & tunc, & ante, & poſt bibiſſet) & nocte ipſa eiuſdem diei Mercurij,

vis, Regi vires iam attenuari cœptas eſſe, & abdomen, de quo etiam Rex conqueſtus fuerit, impleri ac diſtendi. Ex medicamento ſumpto nihil Rex debilitatus eſt; ex aqua verò vno modò die epota, tantùm incommodorum ei accedit? Pudet ſanè tuas iſtas ineptias tractare.

Non vrinam promoueri.

Per ſe quidem aqua vrinam non ciet. Verùm virtute Cinnamomi, ſi tam largiter eam hauſiſſet, vt Simonius comminiſcitur, non ſolùm incidendo ac digerendo, ſed quantitate ipſa ſua ac pondere vrinam promouere potuiſſet, et ſecum attenuatum priùs craſſum illum humorem Simonij abducere.

Non ſudorem prolici.

Optimè. Sed num tuum illud, Simoni, vinum ex Somlio (hoc enim vt biberet, te Regi conſuluiſſe dicis) quod ſubauſterum, & nullarum propemodum eſt virium, ſi cum reliquis Vngaricis conferatur, ſudorem tum Regi elicere potuiſſet, cui (vt ipſe vis) cutis nimia frigorum vi denſata erat, & adſtricta occluſaq; venarum oſcula; cum idem Rex integra valetudine fruens, in ſummis aëris caloribus, cum vinum generoſiſſimum biberet, corpusq; continenter exerceret, nunquam ſudare viſus fuerit?

Non conciliari ſomnum.

Immo, ſi talis morbus fuiſſet, qualem Simonius deſcribit, aquæ illius potus ſomno conciliando haud parum accommodatus fuiſſet. ſua enim frigiditate & humiditate quamuis aliquid Cinnamomi admixtum haberet, ſanguinem circa præcordia & in ipſo corde æſtuantem refrigerare humectareq; potuiſſet, & vi Cinnamomi corroborandi facultatem habentis vapores quoq; emittere, qui in caput aſcendentes, placidiſſimum induxiſſent ſomnum. Si quidem refrigeratio capitis, vt Gal. 3. de locis affectis, & alibi ſæpe teſtatur, ſoporem infert; ardor autem vigilias. Ex dictis apparet, aquam ex infuſione Cinnamomi, ex qua interdum aliquantum Rex bibit, ſi talis morbus fuiſſet, qualem Simonius ponit, egregiè conueniſſe. ex quo quiſque vel mediocris iudicij animaduertere poteſt, Simonium Regis morbum non cognouiſſe. Cum enim, aquam iſtam ſe præſcripſiſſe negauerit, conatusq; ſit probare, eam Regi noxiam fuiſſe; apparet, eum (niſi velimus potiùs, ipſius aquæ vires ei non fuiſſe cognitas) tum non ſenſiſſe, talem morbum Regis fuiſſe, qualem poſtea finxit; vnde animo hærens eam aquam præſcripſerit: ſatiùs eſſe arbitratus (vt Celſus ait) anceps auxilium experiri, quàm nullum. Atque hæc ſatis de aqua. De vino, quod a Rege bibendum ſe conſuluiſſe vult Simonius, ſufficiat Oribaſium audiſſe, qui lib. 5. cap. de vino ait. Vinis auſteris vtimur, vt citatam aluum ſiſtamus, alioquin non vſuri; quòd neque deducendo alimen-

Vini, quale ſe probaſſe Simonius ait facultas & vires.

to, nec sanguini gignendo, neque succi bonitate, neque ciendis vrinis, neque sudoribus eliciendis, neq; verò subducendæ aluo conferant. *Hæc Oribasius. Dicat modo Simonius, quamobrem, vinum subausterum Regi exhibendum, consuluerit; præsertim, cum Rex, vt ipse fatetur, aluum haberet adstrictam. An fortè dilatando thoraci visum ei fuit opportunum?*

SIMONIVS.

LXV. Et sanè velim hìc paulò eruditiores omnes istius empiriæ peruersitatem mecum paulisper expendere. Epilepsiam esse contendit Bucella: & epilepticum tamen excitat perfusione frigidæ, nutrit aqua cinnamomi, (cuius dico singulæ libræ, cinnamomi vnciam acciperent) qua tamen non minus quàm vino, quia non minus quoque tentet caput, abstinendum, præter cæteros Rondeletius censuit: nutrit petroselino, cuius vsu à schola tam Græca, quàm Arabica, & Latina interdicitur comitialibus. Vicissim croci modicum vsum reiicit, à quo citra capitis grauitatem omneq; incommodum, multa expectari, prĉter commemorata priùs commoda poterant: concoctio inquam crudorum felicior, aucto natiuo calore: robur ventriculi ac iecoris: vrinĉ promotio: somnus: cibi appetentia.

RESPONSIO.

Diximus in superioribus, ex symptomatibus quæ Regi accidebant, aliud iudicari non potuisse, quàm morbum, ex quo Rex cecidit, Epilepsiam fuisse, nec non Simonium impudenter asseruisse, nos, frigidæ perfusione, conatos Regem paroxismo correptum reuocare; quod ipsemet fecit. Præterea aquam ex infusione Cinnamomi non a me, sed a Simonio Regi fuisse præscripiam, atque ita præscriptam, vt quatuor aquæ libræ tres vncias, non singulæ libræ vnciam, acciperent Cinnamomi. Nunc, his dimissis, cætera expendenda restant, quæ tria sunt, eaq; falsa. Falsum enim est, aquam ex infusione Cinnamomi non minùs tentare caput, quàm vinum. Falsum et illud, me petroselino nutriuisse Regem. Falsum denique, Croci vsum citra capitis grauitatem esse potuisse. Iam quòd aqua ex infusione Cinnamomi non perinde caput petere possit, vt vinum, vel ex eo manifestum est, quòd non æquè calefacit ac vinum. Et sanè aqua Cinnamomi a multis generatim Epilepticis conceditur, quibus tamen vinum non nisi dilutum, idq;, si vel ventriculum imbecillum habeant, vel caput ita robustum, vt vinum possint absque incommodo ferre, concedere se aiunt. Ioannes quidem Michael Paschalius, quem Pareda commentarijs illustrauit, in sua curandi Meth. cap. de Epil. hæc ipsissima verba habet; Potus erit aqua mellis, vel Cinnamomi. Si vero habuerit ventriculi imbecillitatem, bibat vinum optimum, bene aqua dilutum. *Idem fere inquit Nicolaus Piso de cogn. & cur. morb. lib. 1. cap. 19. his verbis;* Potus sit aqua mulsa, vel aqua, in qua coriandrorum semina, & Cinnamomum decocta sint, aut vinum tenue aquosum, quod etiam paucũ permittitur, præsertim assuetis &c. *Nunc ad Rondeletij authoritatem, quam citat Simonius, respondeo: nihil mirum esse, si Rondeletius aquam ex Cinnamomo interdictit comitialibus, cum et cereuisiam, & zythum potiones multò frigidiores similiter eis interdicat. Præterea per aquam ex Cinnamomo fortè non decoctum Cinnamomi, sed aquam Cinnamomi stillatitiam intelligit. Atqui nos decoctum seu aquam ex infusione Cinnamomi intelligimus, quotiescumq; hic de aqua Cinnamomi verba facimus. De Petroselino porrò, breuiter dico, neque concessisse me vnquam Regi eius vsum, nec vnquam illud a Rege in ferculis, dum ægrotauit, quod sciam, fuisse vsurpatum. Tantùm ipse Simonius, eius mentionem a se factam esse memorat in ea consultatione, quam superiùs examinauimus. De croco demũ, Simonij assertioni Galeni authoritatem opponimus, qui 2. de comp. medic. per loca, inter ea, quæ in omnibus capitis affectionibus vitanda sunt, crocum quoque recenset, inquiens;* Mentem etiam perturbant Lentisci fructus, Crocum, &c. *Non immerito igitur croci vsum reiecimus; cum ex eo non leuis capiti noxa inferri posset.*

Tria falsa, præter alia non pauca superiùs indicata, in his Simonii verbis

SIMONIVS.

Affectum quem non esse perfectam Epilepsiam, sed habere tantum aliquid Epileptici confitetur, vini tenuioris, eiusq; etiam nonnihil diluti, vsu priuat: quem tamen Græci, Arabes, Itali, Galli, Angli, non ignobiliores artis medicinæ professores, in vera & absoluta permittunt, imò verò etiam præscribunt: id quod ex Aretæo lib. 1. de morb. chron. cur. cap. 4. Aegineta lib. 3. cap. 13. Auicenna lib. 3. fen. 1. tract. 5. (qui certè non sub Arcto: sed sub Austro potius medicinam fecerunt) Leonardo Ioachimo ad lib. 10. Rhasis cap. 14. Nicolao Massa epist. 12. Theodot. Epist. 6. Manardo lib. 13. Epist. vlt. Arnaldo Villanouano qui ante trecentos annos vixit lib. 1. breuiar. cap. 22. Iacobo Syluio in sua cur. Meth. Valeriola lib. 4. Fontanonio lib. 1. de morb. inter. cap. 15. Gilberto lib. 2. prax. & sexcentis aliis (paucos enim quos ad manus habui, eos nunc adduxi testes) cognosci potest. Hi enim omnes, vinum album, tenue, clarum, odoriferum, eo potissimum nomine, quòd vrinam moueat, vel austerum, defæcatum, LXVI.

vetus, vel citrinum, aromaticum, aut aliàs calidum, assuetis potissimum eo citra capitis aut ventriculi noxam vti, ad crudorum prçsertim & morbificç causç feliciorem coctionem faciliorémq; dissipationem, simpliciter nominant, nullaq́; addita restrictione in Epilepsiæ curatione proponunt, & nusquam nisi valde vetustum, crassum, meracum, multum, damnant.

RESPONSIO.

En tibi quàm vbique mecum dolosè agat Simonius. Non dixi ego Simoni, si bene recordaris, affectum illum habere aliquid Epileptici; sed, non esse vehementem Epilepsiam, asserui. Nam neque euidenter conuellebantur omnes corporis partes, vt in vehemente Epilepsia accidit, neque alia fortis Epilepsiæ signa aderãt. quod fortè in causa fuit, vt tu eam esse Epilepsiam negares. qui enim a paucis annis medicinam exercere cœpisti, nunquam fortasse, nisi forti Epilepsia laborantes, & confirmatos Epilepticos vidisti. Ideo in hac quoque, spumam oris, seminis & vrinæ emissionem expectabas. Sed sanè audisse, aut legisse debuisses, miser, non esse ista, nisi fortis Epilepsiæ, symptomata. sicut etiam, quòd omnes corporis partes manifestè conuellantur. Si enim leuis cerebri noxa fuerit, cerebrum contrahetur, expulsionemq́; rei infestantis molietur. non tamen omnes corporis partes euidenter conuellentur. Ideo Nicolaus Piso, obseruatum ait fuisse, Epilepsiam factam esse in cerebro, sine vlla partium subiectarum concussione, sed solius capitis.

In 9. Rhas. cap. 13. *Et Leonardus Iacchinus,* Maximè animaduertere debemus, *inquit,* ad morbi initia, & cum occultæ fiunt notæ: sunt enim sæpe accessiones ita leues, vt homines lateant. etenim similantur maximè vertigini, pedibus vacillantes, nec prorsus in terram proruentes. *Simonius ergo quamuis casum Regis, mentis interceptionem, et præterea colli, oris, temporum, brachiorumq́; conuulsionem, vidisset; maiora tamen adhuc expectabat symptomata, quæ, affectum illum Epilepam esse, confirmarent. Ego quidem vbi Regem semel correptum vidi, semper, affectum Epilepsiam esse, indubitanter affirmaui. Cumq́; eius originem a vini fortis vsu, potissimùm fuisse intelligerem, constanter affirmaui, aquam ex saluiæ, & hyssopi, vel alicuius alterius herbæ, quæ caput roboraret, decoctione, magis conducturam, quàm vinum. non, quòd vini tenuioris vsum a multis concedi, nescirem; sed quòd Rex caput valde repletum et debile haberet, ventriculum autem robustissimum. quodq́; esset in morbi initio; quo tempore, si vinum biberet, ne morbus confirmaretur, maioresq́; ageret radices, timebam; si verò a vino abstineret, vt natura morbum superaret, vtq́; morbus abigeretur, prorsus sperabam. Itaque mirari vehementer subit, quamobrem Simonius vinum*

nius vinum Regi concesserit; præsertim in ipso morbi grauissimi initio. Nam ex spontanea corporis lassitudine, quæ primo se die ostendit, repletionem vniuersi corporis maximam adesse, & ex ipso corporis habitu aliquid, vt ipse quoque fatetur Simonius, potiùs detrahendum, quàm addendum esse, discere poterat; ac demum illius Hippocratici dicti meminisse, Corpora impura, quòd lædantur magis, non esse admodum nutrienda. Aphor. 10. *Et sanè, præterquam quòd omnibus in ipso morborum, qui a repletione oriuntur, principio, inedia maximè prodest, quando initia morborum primùm famem, sitimq́; desiderant, nec quidquã magis laborantem adiuuat, quàm tempestiua abstinentia, vt Celsus lib. 2. Galenus, Auicenna, Hippocrates vbique referunt; nullum etiam est Vngaricæ nationi magis accommodatum, magis've commune vsitatumq́; remedium, quàm abstinentia atque inedia. vt non rarò ex ea gente visi sint, qui duas septimanas, & ampliùs, absque cibo ægroti traduxerint. Verùm, cum Simonius Græcos, Arabes, Italos, Gallos, Anglos, vinum in Epilepsia permittere, immo præscribere dicat; expendamus, quæso, num res ita se habeat, an potiùs contrâ. Cauendum tamen est, ne Simonij peruersitas nos a vero longiùs abducat. ponit enim hìc, se vinum tenue & nonnihil dilutum, Regi concessisse; cum tamen merum & generosum concesserit.*

Primò igitur hoc obseruandum, quòd plerique vinum concedunt in Epilepsia forti, & confirmata, non in leui, & inchoata. Ratio est, quia in vehemente morbo absumuntur spiritus, & resoluuntur vires. Vino ergo reficiendi spiritus, & vires confirmandæ. Deinde, concedunt vinum quidem; sed corpore purgato. Nam, vt Trincauellius, communis, ni fallor, præceptor noster, Simoni, ait: Vinum in corpore impuro magis auget morbum. *Adhæc notandum, quòd in Epilepsia simplici, cui nullum graue Symptoma sit adiunctum, vinum tenue dilutum permittitur. at hæc, qua Rex laborauit, grauissimum habuit symptoma adiunctum; nempe spirandi difficultatem, ex qua Rex tandem est mortuus. Cum enim ea fieret ex tenui materia, a ventriculis cerebri per spinam ad neruos thoracis musculis inseruientes transmissa, vinum admodum nocebat; vtpote, quod eam materiam multiplicabat, & ad fluendum parabat. Pulchrè autem Galenus monet, vt, cum plures affectus in vnum cöeunt, ad eum, qui magis vrget, primum consilium dirigamus. Notandum denique est, vinum concedi ijs, quibus ventriculus est imbecillus, & qui aquâ citra ventriculi grauem noxam vti non possunt. nam in comitiali morbo vitandæ potissimùm sunt cruditates. Nunc ad authoritates, quas Simonius citat. Dico Areteum, cõfirmato duntaxat morbo, vinum bibendum consulere. Argumento est, quòd consulit etiam, vt arteriæ omnes ante, & post aures incidan-*

Ostenditur, Simonium ad suam de vino Epilepticis concedendo sententiam confirmãdam, Medicorum testimoniis abusum fuisse.

De ner. affec lib. 3. sect. 3. cap. 3.

1. ad Glau. cap. 12. Meth. 8. cap. 12.

Lib. 1. de morb. chron. cur. cap. 4.

res incidan-

res incidantur; vtq; capiti ignis inferatur, & Cranium vſque ad ſecundam lami-
nam perforetur. quæ omnia præſidia in morbo iam inueterato ſunt adhibenda.vt
1. Aphor. 6 enim Hipp. ait, extremis morbis extrema exquiſitè remedia adhi-
benda ſunt. Vinum ergo tenue concedit in longo morbo, ne cruditates generen-
Lib. 3. cap. 13. tur, & ne vires imbecilliores fiant. Ægineta, Comitiales potu aquæ continendos
quàm diutißimè eſſe, dicit. Vult ergo, vt in principio morbi, & progreſſu etiam
a vino abſtineant. quòd ſi morbus diutius durauerit, tandem vinum concedatur.
Tantum ergo abeſt, vt vinum præſcribat, quemadmodum Simonius ait, vt potiùs,
niſi grauiore imminente periculo, non concedat. quid enim illud verbum quàm
diutiſsimè ſibi vult, niſi hoc, vt contineantur, quàm diu, citra grauem ventricu-
li noxam, contineri poſſunt? Sed nec alia teſtimonia fideliter Simonius citauit.
Auicenna enim loco ab ipſo citato cap. 8. inter alias Epilepſiæ cauſas potionem
quoque vini puri ponit. Et cap. 10. cum dixiſſet, Epilepſiam ſæpe in hyeme, & in
Septemtrione excitari, addit, Et aſſumptio eius (Epilepſiam videlicet cau-
ſat) quod generat ſanguinem vaporoſum, feculentum, aut tenebro
ſum, ſicut vinum feculentum, & antiquum, & purum, nocumen-
Lib. 3. fen. 1. tract. 5. tum faciens in cerebro. Et vbi de cura Epilepſiæ agit, Et non multum,
inquit, vtatur vino, quoniam vehementer replet cerebrum. Præte-
rea idem Auicenna, teſte Theodotio Epiſtolâ 65. non in principio morbi, ſed poſt
Iacchinus. debitas purgationes vinum concedit. Leonardus Iacchinus (hunc enim fortè in-
telligit Simonius, licèt Ioachimum ſcribat) in Rhaſis cap. 13. non in 10. cap. 14.
(ſic fere ſemper aliquid de rebus immutat Simonius) non conſulit bibendum vi-
num forte; ſed tenue tantùm concedit, & ſemper aſſuetis. Ideo vinum, inquit,
minimè caput tentet, & ſi oxymel bibere vellet, optimum factu iu
dicaret Galenus. Quaſi diceret, conſultius foret abſtinere a vino. verùm, ſi æ-
grotus nihil, niſi vinum, bibere velit, concedendum eſt tale, quod caput non lædat.
Epiſt. 12. Nicolaus Maſſa, lue gallica confecto, & tandem Epilepſia correpto vinum conce-
dit. qui caſus longe a noſtro diuerſus eſt. neque enim Regis Epilepſia a Gallico
morbo manauit, neque viribus iam imbecillis, vt illa, ſuperuênit. ideo aliam victus
rationem requirebat. Concedit tamen paucum, idq; lymphatum, & non niſi vr-
Epiſt 6. gente neceßitate. Theodotius iuuenem proponit, qui ventriculi cruditates pati-
tur, & Epilepſiâ per conſenſum potißimùm laborat; & concedit vinum tenue,
tranſparens, &c. præſtare autem dicit aquam exhibere decoctionis pæoniæ, vel
coralliorum rubrorum, cum melle, eo modo, quo mulſa, præparatam. Et alibi, in
Epiſt. 65. caſu abſolutæ Epilepſiæ, magis quàm vinum, laudat aquam mellis in hyeme, & ſac-
Lib. 13 epiſt. 6. chari in æſtate, ex decoctione hyßopi, vel ſaluiæ, vel nucis muſcatæ. Manardus de

comitiali morbo loquitur, qui a caſu mulieri aduenerat; & cum trium annorum
ſpatio eam non infeſtaſſet vnquam, tandem, validior factus, longioribus & maio-
ribus acceßionibus, cum oris ſpuma inuadebat. Iam cum valde dißimilis a noſtro
hic morbus ſit, & originis, & aliorum accidentium ratione; cumq; multa concur-
rant, quæ, vinum eſſe concedendum in eo, non in Regis morbo, probent: Manar-
dus tamen, non, vt ſtatuit Simonius, abſolutè vinum concedit; ſed vt ventriculo
conſulat, corpore iam purgato, illudq; tenue & ſubacerbum. Ex ipſius verbis res
fiet magis manifeſta. ſunt autem hæc; Qualiſcunq; verò cœna ſit, ſine vi-
ni potu fiat; ſed pro vino melicratum, ex aqua, in qua pæoniæ ra-
dix decocta ſit, confectum bibatur. Si quando verò ob ſtomachũ
vino vtendum, in prandio potiùs bibatur, quàm in cœna, ſitq; co-
lore flauum, clarum, tenue; guſtuſq; aliquid acerbi habens. Arnol- Lib. 1. breuiar. ca.
dus Villanouanus, concedit quidem vinum citrinum, ſubcitrinum, album, & odori- 22.
ferum. Sed alibi expreſſè ait, Hydromel Epilepticis potum eſſe elegantiorem quàm In tract. de Epil.
vini. Iacobus Syluius hæc verba habet; Vinum quoque, quia Epilepſiam cap. 7.
facit, vitetur; præſertim multum. paucum autem & aromatite, In ſua curat. Meth.
aut aliter calidum permittatur; præſertim aſſuetis eo, citra capi-
tis aut ventriculi noxam, vti. Apertè igitur ait, vinum Epilepſiam induce-
re, & non niſi cum conditione concedit, quæ in Rege noſtro non aderat. cum enim
caput haberet imbecillum non parum vini potu offendebatur. Vnde eo capitis
affectu, quem ſupra narrauimus, in Tranſyluania correptus, vini abſtinentiâ in-
ter alia eſt curatus. Valeriola puerperæ, Epilepſiâ laboranti cum ſanguinis flu- Lib. 4. obſer. 6.
xu, vinum conceßit; non quidem vt Epilepſiæ, ſed vt viribus conſuleret, quæ a ſan-
guinis nimia effuſione nimium labefactatæ erant. Verba ipſius ſunt; Hanc nos
rationem ſecuti, ita in curatione proceſsimus, vt ab eo ſympto-
mate a quo nõ leue periculum ægræ mulieri inſtabat(erat autem
nimia ſanguinis profuſio vires deiiciens, quæ præcipuè curam ad
ſe aduocabat) ei primum intenti curando fuimus, acceſsione E-
pileptica interim non neglecta. Et poſtea. Nimirum igitur ſi viri-
bus deſtituta ægra miram ab hac ſorbitione ſenſerit opem. Potu
etiam cõgruo humiditatem exhauſtam reficiebam, propinato vi-
no rubro & generoſo, probè tamen diluto, tali namque vino e-
gent, qui refectione indigent, quòd eiuſmodi vinis inſit & citiſsi-
mè implere corpora euacuata, quale hoc erat, & exhauſtos ſpiri-
tus reficere, & indigentiam reparare, quæ docta Galeni ſententia G. 2. aph. com. 11.
eſt. Dionyſius Fontanonius, vinum aromaticum, ait, aut aliter calidum F. lib. 1. de morb.
intern. cap. 15.

permittatur; ſed paucum: aliàs tenue ſit & aquoſum, atque etiam dilutum. præſtabit autem, ſi eo ægrotus carere poſsit, mulſa vti. Vinum aromaticum in exigua etiam quantitate omnino negandum, cum aëris intemperies calida viget, aut cum citra capitis aut ventriculi noxam ægrotus eo vti non poteſt. *Aperte ſanè ſatis contra Simonij ſententiam. Sed Simonius ea tantùm collegit, quæ, ſibi fauere, ipſi ſunt viſa. alia ſpreuit; nimirum veritus, ne ſuam proderet inſcitiam. Gilberti opera non ſunt mihi ad manus, neque hoc tempore ea Cracouiæ nanciſci poßum. Verùm, ni plurimum fallor, & ipſe egregiè, ſcilicet, vt alij omnes, ſententiæ Simonij fauet. At enim dicet Simonius, Serenißimus Rex eo carere non poterat. Falſum eſt. Nam, vt dixi, aliquot menſes aliquando abſtinuit a vino. At enim aëris frigida intemperies id concedebat. Nequaquam. nam non in frigore iacebat Rex; ſed in loco calido; vbi videlicet die, nocteq; ignis in camino perpetuò ardebat. & præterea, vt dictum eſt, non poterat eo citra grauem capitis noxam vti. Liquidò igitur apparet, Simonium turpißimè grauißimorum virorum authoritatibus fuiße abuſum. Hi enim nec in ipſo morbi initio vinum concedunt; nec, quando grauior aliquis affectus, cui vinum aduerſetur, Epilepſiæ coniungitur; nec etiam, niſi corpus ſit bene purgatum. Concedunt autem perinuiti, cum laborantes vel citra ventriculi noxam non poßunt, vel proteruè nihil aliud uolunt bibere, quàm vinum. Et tum non forte, non merum; ſed tenue ac dilutum concedunt. quod, non horum modò, ſed multorum aliorum teſtimonio & authoritate, confirmari poteſt. Nam Aëtius ijſdem ferme verbis, atque Aegineta, conſulit, vt morbo*
Lib. 6. cap. 13. *epileptico affecti quàm diutißimè potu aquæ contineantur. Galenus & Corneli-*
Conſilio de puero epilept. lib. 3. ca. 23. *us celſus vinum ponunt inter ea, quæ Epilepticis perpetuò fugienda ſunt. Oriba-*
De Epil. lib. 8. cap 3. *ſius, & Cœlius Aurelianus abſtinentiam vini, quoad fieri poßit, iubent. Alexander Trallianus vinum, quantum ad affectum attinet, quòd caput repleat, circum-*
Anglic. cap. 11. *cidendum eße ait. Meſues magis laudat mulſam, quàm vinum, licèt tenue. Ioannes*
Paſch. cap. 19. *Anglicus, Michael Paſchalius, Nicolaus Piſo de cogn. & cur. morb. lib. 1. Fuchſius lib. 1. cap. 29. Gualterus Bruele in ſua medicinæ praxi cap. proprio, & alij innumeri hydromel vino præſtare inquiunt. Rhaſis 9. ad Alm. cap. 11. Vinum dari prorſus vetat; & iubet exhiberi rob acetoſorum fructuum. Similiter Ioan. Damaſcenus 3. Therapeut. Meth. cap. 23. Octauius Horatianus libro 2. part. 2.*
Cap. 15. *cap. 2. vinum exhiberi vetat; & aquam calidam iubet. Guainerius ſimiliter vi-*
Lib. 2. cap. 37. *num improbat; & eius loco decoctum hyßopi ſubſtituit. Alexander Benedictus cum Paulo vinum damnat. Dominicus Leo Lunenſis conſulit, vt Epileptici abſtineant a vino. Victorius Fauentinus omnem vini potionem denegat; & mulſam probat deco-*

bat decoctionis hyßopi, & ſaluiæ. Rondeletius, Ioannes de Cocoreio, Camillus Tomaius Rauenenſis, & M. Gattinaria non aliter, ac Siluius, iubent, vt vinum interdicatur; quia Epilepſiam facit. Quid clarius igitur, quàm rei medicæ peritos tam antiquos, quàm recentiores, contra Simonium ſententiam ferre? Et audet tamen miſer iſte adhuc contendere: &, allatis quorundam teſtimonijs, quæ noſtram potiùs confirmant, ipſiuſq; deſtruunt opinionem, aßerere, Græcos, Arabes, Italos, Gallos, Anglos a ſuis partib. ſtare, vinumq́;, præterquam valde vetuſtum craßum meracum, multum, in Epilepſia, nulla addita reſtrictione, concedere. O te miſerum ac perditum, qui ita prauè inſiſtas. Sed, vt tandem concludam, dico, me vinum in Regis epileptico morbo iure damnaße. Nam vinum, quemadmodum omnes norunt, caput petit; vtq; Ariſtoteles lib. De ſomno & vigilia, & alibi teſtatur, replet caput, & neruos tentat. quocirca comitialibus maximè aduerſatur: immo inter cauſas, quæ a tota ſpecie, Epilepſiam inducunt, vt ait Ioannes Anglicus, adnumeratur.

SIMONIVS.

Eodem etiam die manè, Rex ipſe Reuerendiſsimo Premiſcilienſi Epiſcopo Regni Procancellario dixerat, vrgente quantumlibet ægritudine, nulla ſe alia re præterquam quòd a Medicis (a Medico vel a non Medico dicere rectius potuit) vino ſibi interdictum ſciret, angi & ſollicitum eſſe. LXVII.

RESPONSIO.

Non dixit Rex Procancellario, vinum ſibi interdictum a Medicis; ſed Medicos nolle, vt biberet. Nam, cum ea die maßam pilularum accepißet, quæ vtcunq; purgauerat, præter conſuetudinem ſitiebat. Et cum in prandio non conuenire inter nos vidißet, de vino, vel aqua exhibenda, non multum vini, inſtante Simonio, hauſit. Vnde, largiùs bibere cupiens, cum Reuerendißimo Procancellario, ioco tamen, conqueſtus eſt; dicens, velle ſe, vbi ſanus eßet, eam iacturam ſarcire. & hoc quidē a prandio. Nam a prandio Reuerendißimus Procancellarius Regem adijt; non autem manè, vt Simonius ſcribit. Siquidem manè medicamentum Rex ſumpſerat. quamobrem neminem admiſit. Regniq; Procancellarius optimè recordatur, ſe non manè, ſed a prandio Regem viſitaße. idq; omnes aulici teſtabuntur.

SIMONIVS.

Virium iactura in horas atque horas maior, & oppreſsio grauior, durior, conſtantior. LXIIX.

RESPONIO.

Reuerendißimus regni Procancellarius, qui circa veſperam die Mercurij, et Magnificus Vicecācellarius Lithuaniæ, qui vnà cum Magno eiuſdem Lithuaniæ Can-

cellario, die Iouis poſtera Regem viſitarunt, teſtari poßum, Regem cum ipſis præſente animo, viribus integris, & abſq; vlla ſpirandi difficultate, locutum eße. Et ſanè non erat ita imbecillo corporis habitu Serenißimus Rex, vt defici ſtatim viribus potuerit. Sed, dimißis contentionibus, placet iam omnia, quæ die Mercurij acciderunt, narrare.

Veritas actorum diei Mercurij.

Duabus horis ante lucem diei Mercurij Rex medicamentum, ſuperiùs dictum, totum hauſit. Nam, vt qui prudentißimus erat, quod poſt maturam conſultationem ſibi faciendum proponebat, id conſtanter quoq; perficiebat. Eo hauſto, mox quieuit, & ter ante, ſemel verò poſt prandium vẽtris commodum habuit. In prandio cum ego ei decoctum ſaluiæ propoſuißem, guſtare voluit, ſed cum ei non ſaperet, recuſauit ex eo bibere. Itaq; ſuadente Simonio, vinum bibit, nullâ dilutum aquâ; ex quo, et ex ſumpto medicamento tota die ſitiuit. Cibus idem fuit, qui & die Martis. nec quidquam præterea niſi malum aßatum cum ſaccharo ſumpſit, quidquid Simonius de aßatura bouilla, deq; Vngarico ferculo comminiſcatur, tantùm vt maledicat Veſelino, & irrideat omnes Vngaros, a quibus tamen tot bona, & commoda habuit. A prandio inuiſit Reuerendißimus Procancellarius Regni Serenißimum Regem, & horam vnam atque alteram cum eo contriuit. Fuit Rex hilari ac tranquillo animo, nec, præterquam de ſiti, conqueſtus vlla de re eſt. Febris nulla; nulla pariter inquietudo corporis; dolor nullus; vires integræ, ac ſi integrè ſanus eßet. Interea temporis, dum apud Regem Reuerendißimus Procancellarius adeſt, quæſiui ego ex Simonio, quamobrem vinum Regi exhibuißet. Reſpondit Simonius, ſe, poſtquam diu multumq; cogitaßet, in hanc ſententiam veniße, vt morbum hunc non Epilepſiam, ſed Aſthma eße putet. Nam, cum in comitiali morbo neceße ſit, vt omnes conuellantur corporis partes; in hoc vix aliqua conuulſionis ſigna in capite apparebant, quæ vtcunque ad motum etiam voluntarium impetuoſum referri poterant. Oppreßionem quandam eße hanc ex materia, quæ ex capite in pulmones irruat, eosq; repleat; vnde talia ſymptomata fiant, quaſi ſuffocetur; id quod anhelitus, quæ ſubſequebatur difficultas, facilè comprobaret. Diſcußâ autem ſenſim materiâ calore cordis, & partium vicinarum, frictionibus quoque calidis adiuuantibus, ſolui paroxiſmum. Hæc cum audirem, interrogaui eum, vnde putaret hanc materiam ſuppeditari. Ipſe autem neſcio quid mihi de conſtipatione cutis, & de feruore ſanguinis, ob impeditam inſenſilem tranſpirationem, ex quo vapores ad caput eleuarentur, narrabat. Excepi, quando talem eße morbum crederet, quamobrem die Lunæ ſanguinem non miſißet, aut ſaltem die Martis, præſertim cum id ego faciendum conſuluißem. Nam, vt Cornelius Celſus ait

ſus ait (idem cum eo probatißimi quique medici docent) Si morbi ratio patitur, ſanguinis detractioni tempus aptiſsimum eſt dies aduerſæ valetudinis ſecundus, aut tertius; ſi modò non etiam primus. Hîc autem maximè hoc præſidio opus eße dicebam, quò illa ſanguinis efferueſcentia extingueretur; ſi quidem res ita ſe haberet. Sed arbitrari me tamen, motus illos epilepticos eße. Nam, ſi morbus Aſthma eßet, in paroxiſmo Rex aperiret os, non comprimeret; brachia extenderet; neque ita confeſtim caderet. Non eße mirum ſi non omnes corporis partes conuellerentur; neque enim eße hanc confirmatam Epilepſiam, ſed vix iam inchoatam. Animaduerſos etiam fuiße Epilepticos, qui vix concuti viderentur, nec prorſus caderent, & ſtatim ad ſe redirent; id quod Cornelius Celſus & alij multi paßim teſtarentur. Conſulere me tamen, quando venæ ſectio omißa fuerat, vt apponerentur ſcapulis cucurbitulæ, quæ a capite reuellerent, deriuarentq;. Cum aßenſus eßet meis dictis SIMONIVS admonui quoque, vt mecum Regem a vini vſu dehortaretur. At ipſe, vinum omnino concedendum eße, affirmauit; quòd Rex iam ætate grauis eßet & tempeſtas rigidißima. Conſulturum ſe tamen recepit, vt vino aquam admiſceret; id quod nequaquam fecit. Nam, cum in cœna Rex merum vellet, & ego reclamarem, ipſe obmutuit; &, ſi non mihi, certè neque Regi ſe oppoſuit. Bibit ergo Rex in cœna merum. Et circa tertiam noctis horã paroxiſmo correptus, & manifeſtiùs, quàm antea, conuulſus eſt; quamuis Simonius id neget. Nam præter capitis partes, quæ, vt antea, conuellebantur, bis quoque brachium ſiniſtrum violenter ad ſe traxit. Citiùs tamen ad ſe redijt; nec preßus fuit graui admodum ſpirandi difficultate; quæ etiam dorſi, & extremarum partium frictionibus breui ſublata eſt. Paulò poſt dormire occepit. Ego cum Simonio illinc recedens, meam illi ſententiam aperui; dixiq; Italica lingua, quòd iſta acceßio præter morem, & præter expectationem noſtram anteuertißet, licèt exhibitum ea die medicamentum purgaßet, cauſam me vino prorſus adſcribere. Ipſe ſtatim, non vino eße adſcribendam; ſed quòd tum coniunctio Lunæ fuißet, quòdq; humores a medicamento commoti incaluißent, turgentesq; nouum impetum fecißent. Itaque poſt multas lites, quæ inter nos de morbo, de aqua, & vino, & huiuſmodi alijs agitatæ ſunt, Simonius mecum conuênit, ſe non contradicturum, ſi poſtera die aquam Rex bibere voluerit. Conuenimus quoque, vt Caſtoreum ex aqua hyßopi cum aliquot guttulis ſpiritus ſulphuris exhiberetur. Ea nocte ſatis quieta vſus eſt. Febris nulla. Vrinæ tinctæ, ob medicamentum; cæteroqui laudabiles.

Die Iouis 11. Decembr.

SIMONIVS.

LXIX. Manè quod inquam diei Iouis fuit, placuit Bucellæ Regi exhibere Castorei scrupulos credo duos, ex aqua hyssopi lauendulæq; solutos. Quo id consilio fieret, intelligi facilè potuit. Dixi itaq; non eiusmodi, sed aliusmodi iustioribus præsidiis esse opus, Regem his nugis vexatum, fastiditurum deinde necessariora remedia reliqua. Præterquam quod siccaret Castoreum, calefaceretq; vehementius, quàm e re nostra futurum esset. Bezoaris potius aliquid, cum nihil aliud ad manus esset, ipsius Maiestati dandum: cuius granorum decem vel duodecim vsus, aduersus omnes qui ab atro humore pendent morbos, cordisq; affectus, mirè cōmendetur. Datum tamen Castoreum. Pulueri Bezoaris, commodius aliud destinatum tempus.

RESPONSIO.

Castoreum datum est ex sola aqua hyssopi, non etiam Lauendulæ; licèt & ipsa conuenisset. Alia autem præsidia adhibenda fuisse narrat; sed quæ nam, non audet efferre. nimirum ita præstans in arte est. Castoreū nunc damnat, quod tamen ipse tum probauit. Ait esse calidius & siccius, quàm e re nostra esset; & tamen ex ipsius sentētia additæ sunt Castoreo aliquot sulphuris guttulæ, quod multò calidius est, & siccius. Sed Castoreum Epilepticis conuenire Mesues cap. de Epil. docet: Aëtius authoritate Archigenis, Asclepiadæ, & Sereni. Paulus Aegineta similiter: Non⁹, Cornel. Celsus, Alexander Benedictus, Victor Trinc. lib. 3. de ner. affection. sect. 3. cap. 3. Oribasius lib. 8. cap. 3. Nicolaus Piso lib. 1. cap. 19. Arnoldus Villanouanus lib. 1. Breuiarij cap. 22. & alij. Bezoaris lapis datus est eadem die; fuitq; a Veselino non a Simonio propositus. Ita vbique miser iste, aliquid confingit, ac falsus est. Sed quàm elegans est, qui vt suam excuset ignorantiam, nihil ad manus fuisse ait. quasi in Regio Pharmacopolio nihil ad Epilepsiam, ad Syncopem, vel ad Asthma curandum esset.

Testimonia, quòd Castoreum Epilepticis conueniat.
Aet Serm. 2. ca. 177 & Serm. 6. cap. 16
Paul. lib 3. cap. 13.
Non. de cur. morb: omniū part. cap. 36.
Cor. Cel. lib. 3. ca. 33.
Alex. lib. 2. cap. 37.

SIMONIVS.

LXX. Respondit Bucella (atq; ita tum eum respondisse, æternum ac impostorum & mendacium omnium vindicem DEVM testor) quòd Veselinus esset per suam naturam de nullo iudicio: inuidiosus, inflatus, superbus, multum in sua fortuna confidens: & quod quando Rex fuit sanus, non sciuit, nec voluit vnquam sibi facere vnum amicum: etiamsi ipse illi diceret semper, facias tibi de amicis, &c.

RESPONSIO.

Verè quidem a Paulo dictum est, finem omnium controuersiarum esse iuramentum. Sed non tamen est, vt vnicuique iuranti fides habenda sit. Ideo verè & Antiphones apud Stobæum, insanire eum dicit, qui iusiurandum a malo viro postulat. Nam vel sponte solent impostores, vbi fidem suis mendacijs conciliare student, adiurare, Deumq; in testimonium vocare. quod noster quoque Simonius obseruat; idq; eò libentius faciliusq;, quòd (vt nobis a multis relatum est) nullam putat Deum particularium (vt loquuntur) curam gerere. Itaque, cum rationibus veris, & veri narratione non posse se quidquam aduersum me efficere viderit; mendacijs, periurijsq; suis, credulis bonisq; viris imponere, causam suam ruentem fulcire, & me consequenter obruere se posse sperauit. At verò, qui intellexerit, Simonium mihi a duobus & amplius annis semper fuisse infensum, quiq; ipsius meamq; naturā, mores, ingenium perspectum habuerit, is profectò de istius miserrimi hominis in me verbis, huiusq; rei narratione tota, longè secus, atque ipse vellet, iudicabit. Et sanè quilibet, crasso licèt & bardo ingenio, intelligere potest, me hæc de Veselino viro mihi, vt omnes norunt, amicissimo, & quem filij loco semper habui, dicer nullo modo potuisse. Præterea, cum liberum vtrique nostrûm, Simonio, inquam, & mihi, semper fuerit a Rege discedere & foras exire, & ea die admissus vterq; fuerit Magni Ducatus Cancellarius ad Regem, qui diu etiam cum ipso manserunt, & locuti sunt; cur ita respondissem (vt me in ijs verbis, quæ proximè descripta sequuntur, respondentem facit Simonius) quasi dicere voluissem, Veselinum neminem admissurum, & furtim quodammodo ipsi Simonio foras exeundum esse, dixissem, vt Regni Reuerendissimo Procancellario de Regiæ vitæ periculo indicaret? præsertim cum a me antea, die nimirum Mercurij, per dominum Culinæ Magistrum id ipsum illi iam fuisset indicatum? Sed miser iste, um vera dicere, seriaq; tractare nequeat, confingere, scurram agere, seq; omnibus ridiculum præbere non veretur. vt quando modestiæ, temperantiæ, virtutis demum aut facultatis alicuius nomine bonis non potest, malis saltem scurrilitatis ergò placere possit. Verùm ego quidquid is, suum secutus genium, in me euomuerit, parum vel nihil moror.

Hebr. 6.
Serm. 25.

SIMONIVS.

Hoc quidem scio & probè recordor, toto illo die, admissum in Regium conclaue, vel ad nos interrogandos, vel ad Regem videndum fuisse neminem. LXXI.

RESPON-

RESPONSIO.

Hic mendacij ab omnibus, qui in aula fuerunt, nobilibus conuinci potest Simonius. Nam viderunt Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarios ea die, id est pridie quàm moreretur, Regem inuisentes, Verùm ideo fortè id negat Simonius, quia cum eo die manè discessisset, nec ante vesperam reuersus esset, quemadmodum in suo sub Amadei Curtij nomine edito scripto fatetur eos non vidit. Sed certè dupliciter hac in re falsus est; qui scilicet non modò quos non vidit, nec vidisse potuit, adfuisse neget, verùm etiam qui, ne inscitiæ vel negligentiæ arguatur, quòd die Iouis Reuerendissimum Procancellarium instantis Regiæ mortis non admonuerit, sibi non liberum fuisse ex Regio cubiculo exitum, dicat.

SIMONIVS.

LXXI. Aquam deinceps puram, in qua diu maceratus & nonnihil extrictus panis esset, exhibere (Bucella) statuit. En tibi alteram & quidem extremam Regię valetudinis ruinam. Queribundam semper audiebamus ipsius Maiestatem illo aquæ potu (siti enim vrgente dabatur bibebaturq; liberalius) abdomē impleri nimis atq; distendi: grauari corpus: cibi fastidium induci: omnesq; vel semiboni medici sciuissent, eius vsu, non vrinam promoueri, quæ alioquin parcior redderetur: non sudorem prolici, aliàs per se difficilem satis: non conciliari somnum, vigiliis nihilominus molestè vrgentibus: vicissim autem coctionem omnem interpellari: materiam morbificam, inde minus sequacem, magisq; rebellem, reddi: morbum denique vniuersum fieri potuisse crudiorem.

RESPONSIO.

Nouam rursus instituit Simonius de vino, & aqua contentionem. Sed quia de hoc a nobis est superiùs exactè disputatum, paucis iam, multis, ipsius nugis et ambagibus satisfaciemus. Neque enim opus est ea hic repetere, quæ ante de abdominis repletione ista, cibi fastidio, corporis grauedine, quæ omnia ex aquæ vsu processisse vult Simonius, dicta sunt. Nam nunquam de his incommodis est Rex conquestus, nec vnquam ei talia contigerunt; neque certè contingere poterant, etiamsi solam aquam ex maceratione Cinnamomi Rex bibisset; quam tamen a me præscriptam fuisse, & a Rege die Mercurij potam, falsò ait Simonius. Cæterùm ex istius aquæ potu, in qua panis maceratus & extrictus esset, nullum incommodum tale accidere posse facilè etiam probari potest. nam huiusmodi aqua vi fermenti, quam ex pane accipit, attenuandi ac penetrandi potestatem habet, quapropter non abdomen implere, aut distendere, non grauare corpus, non vrinam prorsus non promouere poterat; sed multò minus cibi inducere fastidium, vigiliasq;;

Aquam a Buccella Regi exhibitã incõmodum nullum ex iis, quæ Simonius est commentus, afferre potuisse.

aut ne sudo-

aut, ne sudor proliceretur, efficere; cum, frigiditatis ratione, soporem afferre potiùs, & ex imo pectore sudorem cum interno calore foras propellere apta esset. Concoctionem impedire similiter non poterat. non enim erat simplex pura'ue aqua, quando panis suxerat facultatem; & præterea Rex ventriculo erat forti robustoq;; vt si puram etiam aquam bibisset, ipsi non valde tamen nocere potuisset. Qui autem potuit (præsertim vnius diei spatio, vt Simonius ponere videtur) aquæ vel simplicis moderatus potus robustum ventriculum ita deijcere, infirmareq;, vt & abdomen impleretur, & corporis grauedo, & cibi fastidium, & huiusmodi alia inducerentur? Quæ si tamen euenissent, cur non potiùs medicamento ea die sumpto adscribenda fuissent. Quis ergo istius vel imperitiam, vel impudentiam non rideat?

SIMONIVS.

Legantur sanè diligenter, quæcunq; de vino ab Hipp. & Gal: cum alibi, tum lib: de rat. vict. in morb. acutis, nec non ab Oribasio lib: 5. collect: atq; ab aliis classicis authoribus vsquam scripta vel obseruata sunt, nunquam certè proferetur aliquid, quo, si antea commemoratæ circumstantiæ in consilium adhibeantur omnes, non longè plura commoda ex vino, quàm ex aqua, etiamsi Rex fuisset Epilepticus (qui tamen nunquam fuit) a nobis expectari potuisse demonstretur. Esto enim, vt aliæ omnes medicæ obseruationes, a vini vsu nos auocassent: vna certè Regis consuetudo, appetentiaq;, & quod caput est, virium ratio, quarum in quantum fieri a nobis quicquid in re medica facturis, & potissimum victus rationem decreturis, potest, semper expendendum tuendumq; robur, rectissimè scripsit Hippocrates lib: de Alim: repetitq; Galenus lib. 1. de arte cur. ad Glauc. cap. 3. vinum nullo modo subtrahendum monebant. LXXIII.

RESPONSIO.

Non seruat quæstionis nostræ terminos Simonius; sed eos mutat, vt aliàs sæpe. Debuisset aquam prædictam, in qua panis maceratus atque extrictus fuerat, & aliquantulum sacchari additum, cum vino simplici Vngarico, quantumcumq; tenui, conferre; & in disputationem vocare, vtrum'nam magis conuenisset, vinum tale, an aqua talis, Regi Epilepsiâ primùm laborare incipiēti, vel, vt ipse vult, ex interceptione venarum cum febre, quæ lipyriæ mores referret. At ipse, vix eâ nominatâ aquâ, statim ad simplicem aquam transit. quasi vel pura aqua easdem, quas qualiscunque alterata siue composita, vires haberet; vel quasi nos simplicem aquam Regi exhibuissemus. Apertè satis superiùs ostendimus authoritate Græcorum, Ara-

Diluuntur ea, quæ Simonius ad aquã Regi a Buccella paratam, damnandã, eique vinum anteponendum attulit.

m

corum, Arabum, Latinorumq; ipsorum, non solùm quos Simonius callidè in sui defensionem citat, sed multorum etiam aliorum, vinum Epilepticis minimè conuenire. Et, si conuenit interdum, non certè in principio morbi, neque omnibus; sed ijs tantùm, qui eo carere non possunt ob ventriculi imbecillitatem, & id non merum, non forte, sed tenue & dilutum conuenire, vt Donatus ab Altomari, & Bernhardus Gordonius inter cæteros apertissimè testantur. At verò Rex robustissimum (teste etiam ipso Simonio) ventriculum habebat; nec non viribus erat integris. Malè ergo Simonius vinum ei in principio etiam morbi concessit. Idq; eò magis, quòd Epilepsiæ illi difficultas respirandi coniungebatur, symptoma horrendum, quod vini potu quàm maximè augebatur. Deinde vinum ponit Galenus in secundo calefacientium ordine; sed, quod est admodum vetus, in tertio; sicut mustum in primo; & caliditati eius proportione respondere siccitatem ait. quam sententiam secutus est Aëtius, Paulus, alijq; plurimi. Licèt autem inter neotericos grauissimi quidam sint viri, qui vinum interiùs sumptum non exsiccare, sed humectare affirment: omnes tamen consentiunt, vinum propriâ naturâ calefacere modò plus, modò minùs, prout magis vel minùs vinosum fuerit. & consequenter caput replere. &, si de tenui aquoso dicunt, ipsum caput non tentare; id comparatione tantùm aliorum affirmant. Vnde Hippocrates inquit, In quibus fortem capitis grauitatem vel mentis læsionem suspicatus fueris, a vino penitus est abstinendum: aquamq; tunc dare opus est, vel vinum aquosum: atque ab ipsius potione, aquę exiguum superbibendum. nam hoc modo vini potentia caput mentemq; minùs perturbabit. Et Galenus absolutè pronuntiat, vinum inter ea esse, quæ per caliditatem caput replent. Et alibi, omne vinum, inquit, calefacit, & caput halitu replet iis, qui humido calidoq; temperamento sunt. Adde hanc assumptionem; sed Rex fuit temperamento totius corporis calidiore humidioreq; a natura (vt ipsemet affirmat Simonius in principio sui scripti) caputq; habuit imbecillum. Et conclude; Ergo nullo modo Regi vinum conueniebat. Præterea Paulus Aegineta, de facultate vini loquens, ait, Vinum pituitam attenuare. At Epilepsiæ vt plurimùm, a pituita fiunt, vt Hippocrates, Galenus, Auicenna, et doctissimi quique testantur. Ergo, si Epilepsiâ laborauit Rex, vinum, pituitam attenuando, corpore præsertim non purgato, maximè nocere potuit: vt certè nocuit. Nam attenuata illa pituita vi paroxismorum, in neruos musculorum thoracis inseruientes deinde transmissa est, & eos tandem prorsus obstruens, Regem de medio sustulit. Quòd si asthmatica syncopi, obstructione, & interceptione venarum Rex laborasset, vt fingit Simonius; tamen vinum similiter ei plurimùm nocuisset. Nam Galenus ijs,

De med. hum. corp. malis. cap. 12.

Lib. 8 de simpl medic. facult.

Aetius lib. 1. Paulus lib. 6.

3 de rat. vict. acut. 41.

Cons. de puero epileptico.

1. de sanit. tuen. cap 2.

Lib. 1. cap. 11. Hipp. de sacro mor. Gal. 3. de locis aff. cap 7 Auic. lib. 3. fen 1. tract. 5. cap 8.

lenus ijs, qui ex copia dissoluuntur, disertè vinum interdicit, his verbis; His igitur, qui ex euacuationibus dissoluuntur, ita confestim succurrendum est. At, qui ex multitudine, non ita. Verùm in his artus quàm plurimùm fricare oportet, calfacere, atque alligare. A vino verò & cibis abstinendum. Quod si præterea ei affectui coniuncta fuisset febris mores lipyriæ referens, certum nimirum indicium in visceribus latentis Phlegmonis siue Erysipelatis, in principio morbi vix aliud quidquam exitialius, iuxta Galeni dogmata, potuerat Simonius Regi exhibere. ait enim Galenus, Si aliquando vnum ex visceribꝰ inflammationem patitur, aut caput vehementiùs doluerit, &c. in morbo crudo magna & quasi insanabilia ex potu vini in eiusmodi affectibus nocumenta proueniunt. Cum ergo hæc ita se habeant, non pudet tamen Simonium ad Hippocratis de victus ratione in morbis acutis, & Galeni lectionem nos ablegare. Sed colligamus, quæso, summatim victus rationem in morbis acutis ab Hipp. descriptam, & a Galeno acuratiùs etiam examinatam ipsorum temporibus conuenientem. In morbi igitur principio, si aluus suppressa fuerit, vel mittere sanguinem expediat, nihil exhibendum esse censent; nisi debitis priùs adhibitis præsidijs, mox sorbitionem melicrati vsq; ad morbi statum concedendam; aut oxymel dilutum, admiscendo etiam interdum aliquantulum puræ aquæ; aut succum ptisanæ; aut integram ptisanam. nihil amplius. Transacto deinde morbi statu, pleniore cibo ægrotum nutrire iubent. Et cum, exempli gratia, vt Galeno placet, Pleuriticum sibi curandum proponit Hippocrates, post multa descendens ad vini considerationem, vinum dulce magis, quàm aliud, sputum promouere, aluumq; subducere, affirmat. At debere dari Galenus notat, morbo iam cocto. Id ipsum præcipit procul dubio in omnibus acutis morbis, quod in vno, qui exempli loco propositus fuerat, præcepit. At verò Simonius, adstrictiore existente aluo, nullis dum euacuatis superfluitatibus, (siquidem a Manna nullas Rex habuit sedes, vt superiùs diximus) non misso sanguine ex brachio, in acuto morbo (vt ipse vult) ex putrida malignaq; circa præcordia efferuescente materia, ab ipso statim initio, vinum tenue subausterum non dilutum concedit. Quid ergo dicas, nisi Simonium, iuxta suas positiones, si talis nempe fuisset is morbus, qualem descripsit, grauiter errasse, ac contra Hippocratis, & Galeni dogmata fecisse. At respondebit forsitan, non morbi, sed symptomatis ratione, a quo morbus denominatus est, nempe Syncopis asthmaticæ, vinum concedi debuisse. Verùm, bone vir, hæc tua imaginaria Syncope vnde? Ex cumulata, inquies, materia circum præcordia in magna arteria, cauaq; vena. Sed Galenus docet, vbi Syncope ex plenitudine contingit cum febre, a vino abstinendum esse; & sufficere melicrati, licèt

1. ad Glac. cap. 14.

4. comm. Aph. 48. 7. comm. Aph. 1.

1. ad Glau. cap. 14.

Gal. 1: de vict. rat. ad part. 33.

3. de vict. rat. ad part. 2.

1. ad Glau. cap. 14.

licrati,licèt deterrimi potum,vel oxymellis. Præterea tu loco victus tenuis,iubes
2. Meth. cap. 4. exhiberi carnes,et vini meri ſubauſteriq; potum cōcedis.Galenus verò in Syncopi
ex plenitudine,vt a cibo prorſus ægroti abſtineant,iubet,& in omni Syncopi,(ſci
licet quando vinum dãdum eſt) vina naturâ calida ſuadet, & quæ deductionem in
corpus promoueant.& de auſteris ait, quòd digeſtionem in corpus non iuuent,
3 de vict.rat.ad part.8. fugienda Syncopi prehenſis eſſe,non ſecus atque aquam. Alibi verò aſſerit,vinum
auſterum omnes excretiones cohibere. Et quando Simonius Oribaſium citat, pla-
cet hic iterum referre, quid Oribaſius de vino auſtero, loco ipſo a Simonio cita-
to,ſcribat, Vinis,inquit,auſteris vtimur, vt citatam aluum ſiſtamus,
alioquin non vſuri, quòd nec deducendo alimento, nec ſanguini
gignendo, nec ſucci bonitate, neque ciendis vrinis, neque ſudori-
bus eliciendis, neque verò ſubducendæ aluo conferant. Porrò, Re-
gem non habuiſſe citam aluum, ſatis ex verbis Simonij conſtat;habuiſſe autem cu-
tem denſiſſimam, vt nunquam ſua ſponte ſudauerit.Verùm iam conſideremus,an a-
qua ex maceratione panis, facta expreſſione,addito tantillo ſacchari, ſit vtilis po-
tio Epileptico, vel interceptione venarum a feruore atri humoris laboranti, nec
ne. Maluiſſem equidem, Regem bibiſſe aquam ex decoctione foliorum ſaluiæ, ad-
dito aliquantulo ſucco limonum,quæ iuſſa delataq; ad Regem fuit, vt Pharmacopo
la Regius teſtari poteſt ; vel aquam ex decoctione hyſſopi, aut ſeminum corian-
drorum. At quia Rex adeò abhorrebat a decoctis, vt nunquam nec cereuiſiam,
nec aquam mulſam, quam vulgò medonem vocant, nec quidquam ſimile bibere ſu-
ſtinuerit; &,ſi quando abſtineret a vino, aquam vel ex maceratione Cinnamomi,
vel ex commixtione conſeruæ roſarum bibebat; Ego,inter alias potiones,& hanc
ex maceratione panis ipſi paraui,quam aliàs optimo cum ſucceſſu expertus ſum,
& in Gallia in omnibus ferme morbis vſurpari audiui. Sed ad rem. Vitiorum
7. Meth. cap. 6. aquæ capita, inquit Galenus,pendere tantùm ex frigiditate eius. cu-
ius frigiditatis culpâ in præcordiis diutiſsimè moratur ; aliaq;
6. de ſimpl.medica. facult. huiuſmodi mala inuehit. At alibi de panis fermento loquens,tenuium illud
eſſe partium,ait,& mediocriter calidũ.Cum igitur aqua ex panis maceratione,fa
cta expreſſione,partes ſubtiliores panis in ſe recipiat,potiſſimè fermenti, vt quiſ-
que guſtu,et olfactu deprehendere poteſt,ea certè,præſertim ſi etiam addatur illi
aliquid ſacchari, potio ſit abſque vllo vitio, nutriens, facilè tranſiens, & grata.
Nam aquæ ſimplicis frigiditas, a qua,vt diximus, Galeno teſte, vitia eius omnia
pendent,a fermenti & ſacchari caliditate abunde corrigitur, & eiuſdem tardi-
tas ſubtilitate partium vtriuſq; emendatur ; vt propterea penetrabilis euadat.
cumq; ſaccharum ſua dulcedine amicum ſit naturæ, & panis, familiariſſimus no-
ſter cibus,

ſter cibus,huiuſmodi aqua haud ingrata eſt,minimè ventriculum grauat, nutrit;
nec in ipſa quidquam eſt,quod caput offendere, vel etiam petere queat. Quin e-
tiam, cum, eodem Galeno teſte, fermentum particeps ſit cuiuſdam aciditatis, 7. de ſimpl. medic. facul.
quæ vel guſtu percipitur, eius vi ſitim ſedare, os ventriculi claudere, vapores ci-
borum ne ſurſum petant,impedire, & faciliùs permeare ; vi autem ſacchari ab-
ſtergere,crudoſq; humores digerere poteſt. Laboranti ergo Epilepſiâ & in prin-
cipio morbi exiſtenti Regi Stephano (quem ſumma ſemper cum reuerentia a me
nominatum volo) cum nollet aquam ex decoctione ſaluiæ, vel hyſſopi (multò mi-
nùs autem bibiſſet cereuiſiam, aut aquam mulſam, vel oxymel dilutum) prædicta
aqua fuit conuenientiſſimus potus. Quòd ſi etiam laboraſſet interceptione vena-
rum,ex atro craſſoq; humore in magnis vaſis efferueſcente)cum febre, hæc potio
optimè conueniſſet. Siquidem ex aqua exuperante vim habuiſſet humectandi,&
moderatè refrigerandi;ex fermento verò & ſaccharo incidendi, digerendi,attenu
andi, abſtergendi, materiamq; peccantem per lotium deducendi. Ad authoritates
quod attinet, quis non intelligit, Hippocratem,Galenum,Oribaſium, & claſſicos
alios medicos ſcriptores, quando pronuntiant, aquam non alere, non incidere,
refrigerare, ægrè concoqui, non facilè diſtribui, non ciere vrinam, non educere
ſputum, materiam morbificam craſſiorem reddere, de ſimplici aqua, ſeu ſola per
ſe ſumpta, loqui? Nam cum locuti ſunt de aqua mulſa, de oxymelite, & de aliis
huiuſmodi potionibus, in quibus aqua quantitate ſuperat, longè ſecus pronuntia-
runt ; vt quiſque in ipſorum de eiſdem tractatibus videre poteſt; dixeruntq;, hu-
iuſmodi potiones abſtergere, incidere,nutrire, calefacere, &c. Itaque apparet
Simonij vel verſutia,ſi, vt apparet, ſimplicem aquam cum vino contulit:vel igno-
rantia, ſi, compoſitam qualem nos exhibuimus, non conuenire ſenſit. Et ſanè in
hac tractatione ſemper,aut falſus,aut doloſus eſt;et præſertim vbi contendit(hoc
enim facilè ex ipſius ſcriptis colligitur) ex aquæ potu vnius vel alterius diei ſpa-
tio Regi robuſtiſſimo ventriculo vtenti tot & tanta accidiſſe mala, quot & quan-
ta vix ex ipſa ſimplici aqua debilis ventriculi homini, pluribus diebus,accidere
potuiſſent. Ridiculum autem eſt,quod Simonius ſubdit, Eſto, vt aliæ omnes
medicæ obſeruationes a vini vſu nos auocaſſent, vna certe Regis
conſuetudo,appetentiaq;, & quod caput eſt, virium ratio &c. vi-
num nullo modo ſubtrahendum monebant.Nam primò, quod de viri-
bus ait, vanum prorſus videri poſſit. Rex enim Stephanus viribus ferme integris
vſque ad mortem fuit. hoc autem patet ; nam tertia die morbi validiſſimum medi-
camentum purgans, conſenſu Simonij, ipſi datum eſt, quod facile tulit. Quarta
die, eius quoque conſenſu, miſſus eſt ſanguis, & teſte Simonio meliùs etiam ha-
m 3 buit. Gale-

9. Meth. cap. 10.

buit. Galenus verò inquit; Harum euacuationum neutram ferre imbecillas vires. Quintâ illud idem medicamentum repetitum est. Non ergo imbecillis fuit viribus. sed si etiam non ita firmis fuisset, illud expendendum est, quòd in omnibus acutis morbis, si vires tales, quales accepimus, proponimus seruare vel etiam augerę, semper addimus ad morbum; vt Gal. lib. 1. aph. comm. aph. 4. testatur. De consuetudine atque appetentia quod ait, si postpositis veris indicationibus, coindicationum, consuetudinis nempe, & appetentiæ ratione, vinum acuto morbo laborantibus concedendum esset, in phrenitide, causonide, angina, pleuritide, peripneumonia, & in alijs huiusmodi morbis in principio vinum exhibendum esset. & Italis, Gallis, Hispanis, Vngaris; Germanis autem plerisq;, non paucis verò Polonis, his morbis laborantibus, nullo modo subtrahendum. siquidem perpetuò assueuerunt vino, &, dum ægrotant, quàm maxime vinum appetunt. Verùm sapientissimè monuit Hippocrates in libello de vetere medicina, ægris eandem diætam non conuenire, quæ sanis; &, quæ sanorum sunt, ægris nocentissima esse. Habenda quidem est consuetudinis, & appetentiæ ratio in morbis acutis, & hoc non in locis tantùm a Simonio citatis, sed vbique inculcat Hippocrates, Galenus, Auicenna, & doctissimi quique medicorum. Verùm non ex his, quid agendum in morbis profligandis, sumitur; sed a morbo, morbi causa, parte affecta, & huiusmodi. ab his verò, quantũ, et quod id expediat, quomodo sumere vel facere oportet, intelligitur. Vnde coindicantia meritò appellantur. Et ideo Galenus ad Glauc; vbi victus indicationem a morbo, & a morbi causa sumpsisset, mensuram dixit esse sumendam a viribus, & a consuetudine, & præterea ab ætate ægrotantis, a naturali temperatura, ab anni tempore, regione, & alijs huiusmodi. Verùm fortè Galeni locum istum attulit Simonius, quia ibi Galenus ijs, qui ex lassitudine, febri diaria laborant, vinum potare, quantum possunt conuincere, permittit. Sed nunquid par ratio est ephemerarum, & acutarum febrium? & si in febre vnius diei, calore in spiritibus tantùm accenso, vinum conceditur, in acuto morbo, feruescente atro, crasso, maligno humore in magnis vasis, etiam concedendum est? Saltem paulo infra legisset idem caput Simonius; vbi Galenus ita scribit, Qui cutis foramina habent adstricta, vel refrigerati sunt, si non valde hoc affectu laborent, neque plenum corpus habeant, non sunt a vini potu prohibendi. At, qui pleniore corpore sunt, vel multùm refrigerati, prohibere vtile est. En tibi Galenum, Simoni, etiam in diarijs febribus non semper vinum concedere, quantò minùs in malignis acutisq; febribus, cruda existente materia. Quare, etiamsi diaria febre Rex laborasset; tamen iuxta ea, quæ a te ponuntur, vinum non conueniebat. nam præterquam quòd re-

uera cute den-

uera cute densissima erat, & habitu corporis pleniore, fingis quoq;, cum in hunc morbum, ob frigora, quæ tum fuerunt intensissima, incidisse. Nihil ergo ex vsu tuo Galenus 1. ad Glauc. cap. 3. scribit. Hippocrates de aliment. nihil de consuetudine appetentia'ue, nihil de viribus scribit, nisi in lib. illius fine; vbi hæc verba habet, Et quicunque veloci appositione opus habent, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum. Quicunque verò adhuc velociore indigent, per olfactum. Qui autem tardiore appositione opus habent, solido alimento vtantur. Ex quibus quid, quæso, efficitur aliud, quàm viriũ rationem habendam? id quod omnes norunt. Quod si propterea Hippocratis authoritatem citasti, Simoni, quia dicit, humidum ad reficiendas vires esse medicamen optimum; ego excipio, humidum non intelligi tantùm vinum, sed potiùs aquas medicatas, & quæ nutriunt, intelligi posse; cum illæ vino humidiores sint. Et præterea dico, alium esse casum nostrum. nam Rex non erat adeò prostratus viribus, vt, ad eas reparandas, veloci appositione opus haberet. immo, vt dictum est, viribus fuit semper prope integrus vsque ad mortem.

SIMONIVS.

Consilium ab vtroque nostrum captum de cucurbitulis cum LXXIV.
dorsi lateribus, tum lumbis & cruri dextro affigendis profundeq; bis ter'ue scarificandis, sex in totum quò citra virium grauiorem iacturam (iusta præsertim sanguinis copia ex accepto vulnere, ante quadriduum effusa) partes illæ thoracis nonnihil exoneratæ subleuarentur: nec reuelleretur tamen, si quem eò fortasse capere impetum vellet, a crure fluxio. Hoc remedium sectioni venæ, quam Hippocrates allegato iam aliquoties lib. 4. de rat. vict. in hoc morbo proponit, Galeni consilio substituendum, præter expositas antea causas, re bene deliberata duximus. Neq; cessit res infeliciter. Eductis enim ea ratione sanguinis vnciis, plus minus septem, nonnihil respirasse aliquamdiu visus est Rex.

RESPONSIO.

Non lumbis, sed scapulis appositas cucurbitulas fuisse, Chirurgus Regius, qui apposuit, Pharmacopola & ianitores, qui Regium cadauer abluerunt, testari poterunt. At, quàm grauiter Simonius errauerit in postponenda venæ sectione, superiùs Galeni, & Hippocratis authoritate probauimus; nec non ratione. nam, etsi iusta, vt ipse ait, sanguinis copia ex vulnere effluxisset: tamen non ex debito loco effluxerat. Si enim satis ex debito loco sanguinis effluxisset, cur non sublatus fuisset morbus? præsertim, si is esset, quem ipse fingit, videlicet interceptio venarum? siquidem, ut Hippocrates ait, Quicunque morbi ex repletione fiunt, cu-

Iterum de venæ sectione; quam stultè omisisse Simonius suo ipsius testimonio conuincitur.

rat eua-

rat euacuatio. *Grauissimè igitur errauit Simonius, sanguinis missionem differens, quam in principio procurare dabebat. Monet Hippocrates, vt in principio, si quid mouendum sit, moueamus. at iste in principio ludit, inq; grauissimo morbo, qui & purgationem vehementem, & sanguinis missionem postulabat, Mannam tantùm exhibet. Deinde, vbi iam desperata sunt omnia, tandem succurrere cogitat. Sanè pulchrè Seneca ait;* Tarde velle nolentis est. *At excusatione fortè dignus est miser iste. id enim fecit, quod sciuit, & quod potuit. Quòd si morbum cognouisset, conuenientia fortè præsidia adhibuisset, & venam in morbi principio secuisset, si sanguinis missionem profuturam putasset. quod nunc primùm forsitan animaduertit, quando, detracto sanguine per cucurbitulas, visus est Rex (vt ipsemet dicit) aliquandiu nonnihil respirasse. Animaduertit, inquam, nisi planè est stolidus, quòd, cum, cucurbitulæ iuuerint, venæ sectio multò magis iuuisset.*

SIMONIVS.

LXXV. Siti consultum, toto die, frequenti ablutione oris, ex aqua frigida, in qua dissoluebatur mali citrii, ex saccharo conditi, succus: vel ipsum totum citrium minutim concisum, eademq; Italorum videlicet, artificum arte delicatissimè paratum.

RESPONSIO.

Vt hoc loco prætermittam, quòd, cum Rex a dulcibus abhorreret, non verisimile est, quod narrat Simonius, Regem frequenter abluisse os aquâ, in qua citrium ex saccharo conditum dissolueretur; Id sanè ridiculum est, quòd Simonius mendacij superiùs a se dicti (omnino, vt ille ait, Mendacem oportet esse memorem) oblitus, nimirum, aquam vrgente siti, datam bibitamq; fuisse liberaliùs; nunc ait, Siti consultum toto die, frequenti ablutione oris, *&c. Sanè, qui liberaliùs, cum sitis vrget, bibit, ei non opus est frequente oris ablutione siti consulere. Sed præterea Mag. Lithuaniæ Procancellarius, qui eo die diu apud Regem fuit, testari potest, ipso præsente, nec bibisse Regem, neque os abluisse.*

SIMONIVS.

LXXVI. Hora sexta noctis recurrit paroxismus, nullo prorsus membrorum spasmo, sed animi tantum defectione, frigore extremorum, leui frontis madore, eoq; subfrigido pallore faciei comitatus. Quo mox eadem Bucellæ arte, ac Ferenz Veselini opera profligato, sequuta oppresio: quç tota nocte Regem miserrimè torsit.

RESPONSIO.

Superiùs dixit, me, aspersa Regis facie frigidâ aquâ, eum a paroxismo reuocare tentasse. Cum igitur hîc ait, eadem me arte vsum fuisse, frigidâ Regis faciem me inspersisse, sine dubio intelligit, & tamen se frontis Regiæ leuem subfrigidumq; mado-

dumq; madorem tum obseruasse vult. certè maduisse faciem oportet, si frigidâ inspersa fuit. Sed, vt supra sic hoc loco, de me falsa narrat Simonius. qui, leuis vbiq; & fallax, tot mendacia ingerere, immo inculcare contendit, quò iniustam suam causam defendat, vt ea inuicem quoque sibi contraria sint.

Veritas actorum diei Iouis.

Manè, vt constitueramus, Rex Castoreum sumpsit, ex aqua hyssopi, cum duabus vel tribus guttulis spiritus sulphuris. Deinde appositæ fuerunt cucurbitulæ scapulis, & externæ parti dextræ tibiæ, extractæq; ad octo & ampliùs sanguinis vnciæ. Mox datus Bezoaris puluis. In prandio, cum vinum non conuenire, & Regem a cereuisiæ, & mulsæ potu abhorrere scirem; varias ei obtuli aquas ad bibendum; nimirum ex decoctione foliorum saluiæ cum de acetositate citri; ex decoctione hyssopi; ex decoctione seminum anisorum; itemq; seminum coriandrorum præparatorum; aquam præterea, in qua panis triticeus & saccharum bene macerata erant, & aliam, cui commiscebatur conserua (vt vocant) rosarum, quam Regem in summis aëris ardoribus vsurpasse, sciebam. Itaque, cum aliquantulum comedisset, ex ea aqua bibit, in qua panis maceratus & extrictus fuerat; post prandium verò ex alia, vbi conserua rosarum fuerat infusa. duas postea horas suauissimè dormiuit. Expergefactus autem Cancellarios Magni D. Lithuaniæ intromitti iussit, qui diu cum ipso confabulati sunt. Vesperi cœnare noluit, vt omnem prorsus reditus accessionis causam amputaret. Superuênit nihilominus tamen paroxismus nocte media, at minima membrorum conuulsione (quare condonandum est Simonio, si nullam tunc animaduertit conuulsionem) & vix deficere visus, statim ad se redijt. Difficilis illico respiratio consecuta; quæ tamen nec tam grauis, vt antea fuit, nec tam diu durauit. faciei mador nullus. Quibus incommodis, dictis iam antea præsidijs, prospectum est. Somnus modicus, leuis, & perturbatus; cuius rei causam esse putauimus, quòd ieiuno ventriculo somno se tradidisset. Esuriebat enim, & sitiebat. neque tamen etiam post accessionem comedere, aut bibere voluit; dicens, nunquam se media nocte, vel ante lucem comedisse, aut bibisse. Consuluimus, quando morbum causam habere fixam, licèt plurimùm vi præteritæ pugationis imminutam, videbamus, vt antea datum Cocchiarum pharmacum exhiberetur. nam visum fuerat iuuisse, & a Rege non illibenter (quicquid garriat Simonius) sumptū fuerat. Febris nulla; vires constantes; vrinæ naturales, præterquam quòd aliquantò plus iusto coloratæ erant; nimirum ob calida, quæ acceperat, medicamenta.

Die Veneris 12. Decembris.

SIMONIVS.

LXXVI. Manè summo vrinæ cum exiguis ac fere nullis coctionis signis. Lassitudo ingens. Sequebatur morbi dies sextus: cuius initium sequens diei Veneris nox erat, & qui primus a quarto par est, aliquando inter Criticos incidens: sed quod eo plures pereant, pessimus ac Tyranni nomine à veteribus appellatus. Sanè si attentè legantur ea, quæ a Galeno lib. 1. de diebus Criticis cap. 4. & 11. adnotata sunt, &c. facilè intelligetur, diem hunc, vbi præsertim continenter prope apparuerint antea perniciosa signa (cuiusmodi erant oppressio illa fere semper perseuerans: sed feruente tamen intus materia grauior, silente mitior: vrinæ turbidæ ac minimum subsidentes: vigiliæ: sitis, cum pulsu languido, ac inæquali) in morbis omnibus acutis, quicquid natura moueat magnopere metuendum esse.

RESPONSIO.

Duo hic conatur Simonius. Vnum est, persuadere, Regem die Veneris non obijsse ex copioso vini potu. Alterum verò, causam reddere, quamobrem eodem die Veneris mane rursus Catharticum idem Regi exhibuerit, quod priùs. nam contra Epilepsiam se id dedisse, affirmare non audet; & aliam causam prætexit. Itaque diei sexti mentionem facit; in quo, quicquid natura moueat, timendum est. Et tacitè infert, sub ingressum sexti diei, Regem mortuum esse, quia natura crisim tētauerit. id quod ipse scilicet præuidens, vt huic incommodo, si fieri posset, occurreret, Catharticum illud exhibuerit. Sed imperitè omnia. neque enim erat, quòd diem sextum timeret. Cum enim fingat, Regem accessiones duarum tertianarum habuisse, & illius grauiores fuisse, quæ diebus imparibus adoriebatur; non poterat Crisim die sexta expectare. Nam, quemadmodum statuit Hippocrates; Quæ diebus paribus accedunt, (*nempe grauiores accessiones*) paribus iudicantur. Quorum verò sunt in imparibus accessiones, imparibus iudicantur. *Quæ sententia a Galeno aliquoties in commentario repetitur ac laudatur. Itemq; 1. lib. de diebus decretorijs, & in casu Philisci in comm. ait, ad* sextum diem Philiscus periit, quòd accessiones paribus diebus haberet. *Habebat autem quoque imparibus: nam die primo febri acuta laborauit, dieq; tertio iterum sub crepusculum. Sed tamen accessiones diebus paribus grauiores habebat. Silenus verò febri acuta tertio die grauiùs correptus est, quàm secundo. Ideo, vt Galenus inquit, die septimo ipsi vita excedendum fuisset; quòd videlicet essent sæuiores accessiones diebus imparibus. Sed cum robore virium septimum diem superare potuerit, vndecimo perijt. ergo dies sextus, in morbo hoc,*

a Simonio

Regem ex vini potu obiisse, & Simonium, si vera essent, quæ narrat, non rectè secundò, vt vehemens pharmacum illi exhibêretur, consensisse.

1. Epid part. 3. partic. 13.

3. Epid part. 3. partic 16.

a Simonio nullo modo timendus fuit; cum diebus imparibus affligeretur Rex, Et eò minùs, quòd quarto die, vt Simonius notat, post appositas cucurbitulas, nonnihil respirauit. Verùm nec die sexto est mortuus. Nam, si singulis diebus horæ 24. assignentur, cùm septimâ horâ noctis, quæ sequuta est diem dominicum, ægrotare cœperit & ducubuerit; certè septimâ horâ, post occasum solis diei Veneris, dies sextus inchoabat. Sin pro ratione paroxismorum intercidentium, dierum initia & fines æstimentur; si quidem, secunda hora diei Lunæ nocte sequente, vt ait Simonius, primus paroxismus dierũ pariũ inuasit, mox secundus tertia hora diei Mercurij similiter nocte sequente; hinc efficitur quartâ horâ noctis sequentis, diem Veneris expectandum fuisse dierum parium paroxismũ tertium, & non citiùs; quinimmo tardiùs, si tum opportunè datum fuisset purgans pharmacum. Quare nec sexti diei initium ante quartam horam noctis futurum erat. Atqui ante solis occasum obijt Rex. non igitur sexto morbi die, nec eius tyrannide obijt; sed importunitate Simonij, vinum præter rationem concedentis. Quod ad perniciosa signa attinet, sæpe quidem de oppressione mentionem facit Simonius, quæ ui frigoris, læsis per se respirationis organis, accesserit. Verùm neque ui frigoris, neque, ut hic eam nominat, perseuerans, illa fuit oppressio. Sed paroxismum consequebatur, & frictionibus dorsi potissimùm discutiebatur. Cum autem velit Simonius, eam ferè semper durasse; nunquam tamen quidquam (hoc enim Pharmacopolæ libri declarant) vt eam tolleret, exteriùs applicandum, vel interiùs per os sumendum, parari iussit. quod ipsum de vigilijs dici potest. nunquam enim ad conciliandum somnum quidquam exhibitum aut iussum est. De vrinis etiã quod scribit, est animaduersione dignum. nam die Mercurij a prandio, notat, se inspexisse vrinas turbidas, minimè subsidentes. Si sic ergo absolutè crudæ vrinæ tum erant, nunc verò die Veneris manè dicit, se vidisse vrinas minimum subsidentes, & cum exiguis coctionis signis; ergo iam incipiebat aliqua morbi coctio per Simonium. At Galenus, coctionis signa nunquam male apparere, & lethalia nunquam cum coctionis signis copulari scribit. Malè ergo vrinas minimùm subsidentes inter perniciosa signa collocauit Simonius. Præterea sibi ipsi aduersatur. nam superiùs, postquam dixisset, se inspexisse vrinas diei Mercurij minimè subsidentes; adiecit, eiusmodi, hoc est minimè subsidentes, perstitisse vsque ad finem morbi. hic verò dicit, minimùm subsidentes fuisse. Sed forte bonus iste Grammaticus, inter Minimè, & Minimùm, minimè distinguit. quod crederem sanè, ni priùs, vrinas fuisse dixisset cum exiguis coctionis signis. Postremò, pulsum languidum & inæqualem fuisse notat. cum igitur iam antea pulsum fuisse intermittentem dixerit, nunc verò pulsi inæqualitatem inter perniciosa signa recenseat, necesse est vt acutus iste noster

 medicus pu-

*medicus putet; vel, idem eße intermißionem, & inæqualitatem; vel, inæqualita-
tem grauius aliquid portendere, quàm intermißionem. Vnum autem pernicioſiſ-
ſimum omnium ſignum prætermiſit (iuxta ipſius fictiones loquor) frigus extre-
marum partium cum febre continua, de quo antea meminit. quod vnum ad ægritu*
8. Ap. 43. *dinis Regiæ periculum oſtendendum ſatis erat. Nam, vt Hippocrates ait;* In fe-
bribus non intermittentibus, ſi partes exteriores frigeant, interi-
ores verò vrantur cum ſiti, lethale eſt. *Itemq;* In morbis acutis fri-
7. Aph. 1. gus extremarum partium malum. *& 4. de vict. rat. in acut. morb. Et
in Epid. & alibi, vbi frigoris extremarum partium cum febre continua mentio-
nem facit, id inter exitialia ſigna ponit.*

SIMONIVS.

LXXVII. Ergo viſum Bucellæ, viſum & mihi, vt priuſquam fractæ iam ſa
tis grauius debilitarentur vires, Catharticum idem, quod antea,
manè repeteretur. (Galenus quoque vſum veratri, in hoc morbo
proponit, citato antea loco lib. 4. de rat. vict. com. ad ſentent.
29, ipſe adeò Rex difficilem admodum & ægrè ſolubilem habuit
aluum) ne in tanta materię copia, ſexto paroxiſmo ſæuiter (quod
metuebam) vrgente, grauius contingeret aliquid. Sexto ſanè ip-
ſo, quia eſſet quaſi impar intercidens, ſeptimoq; impari nimirum
die, minus tutò cathartieum exbiberi potuiſſe iudicaui.

RESPONSIO.

Ad Alm. cap. 11. *Conſulit Rhaſis, vt Cocchiæ ſæpius in Epilepſia exhibeantur. Et quidem iure
a nobis ſunt exhibitæ, cum morbus adeò contumax eßet, cumq; ita vrgeret, vt,
niſi ſtatim occurreretur, vel ſubita mors, vel morbi ſaltem confirmatio timenda*
Lib. 3. fen. 1. tract. 5. cap. 8. *eßet. Nam, vt Auicenna, & cum eo Ioannes Anglicus inquit, cum paroxiſmi epi-*
Ang. cap. 11. *leptici frequenter exiſtunt, in ſene præſertim, periculum eſt mortis. Tametſi di-
cere poßemus, in Rege non admodum frequentes, nec tamen raros paroxiſmos
fuiße; cum ſemel tantùm in die, nec vehementer eßent. vt potius de morbi confir-
matione, quàm de morte, timendum eßet; niſi acceßißet difficultas illa reſpiratio-
nis, a qua euidentius, quàm ab ipſa Epilepſia, periculum imminebat. Itaque, cum
materia, vel humor ille, qui epilepticos excitabat inſultus, quiq; in acceßione
diſcußus, difficultatem illam anhelitus inferebat, primæ purgationi non ceßißet;
ſed tamen imminutus fuißet (etenim inſultus eius diei, & oppreßio minor fuerat)
iteranda, eiuſdem boni ſucceßus ſpe, purgatio fuit; vt, quæ morbum faciebat,
materia prorſus educeretur; quod, arbitror, ex ſententia ſucceßißet, niſi vinum
Rex bibißet. Cæterùm, cum in vniuerſo hoc opere Simonius mendacijs tantùm
ſuam cauſam tueatur, mirum certè eſt, ipſum non auſum fuiße negare, hoc medi*

*camentum vehementißimum & minimè conueniens, ſi eo affectu Rex laboraßet,
quo laboraße eum dicit, ſuo nutu & voluntate, repetitum fuiße, immo id vltrò
faßum eße. præſertim cum ea die, qua ſecundò ei exhibitum fuit medicamentum,
Rex Serenißimus mortem cum vita commutauerit. Nam quòd primo, nimirum
die Mercurij, ſuo conſenſu datum fuerit, negare haud potuit; eo quòd Receptam
(vt loquuntur) ſua manu ſcriptam penes Pharmacopolam Regium extare ſciret.
At ſi, vt repeteretur, ſe conſenſiße, negaßet, difficulter ſanè id probari potuiſ-
ſet. Sed fortè duæ illæ ſorores, Ignorantia, & Ambitio, quæ naturali quadam
affinitate ita coniunctæ ſunt, vt vix eas vnquam aut vſquam ſeiunctas animaduer-
tas, hoc a Simonio obtinuerunt, vt, licèt id ſit omnino præter ipſius ingenium &
conſuetudinem, veritatem tamen nunc fateretur. Ignorantia, inquam, eum, vt id
efferret, adduxit, quia ipſi, quanti id referret, velauit. Ambitio verò, quia, ſuæ
famæ & exiſtimationi multum decedere, ei perſuaſit, ſi, cum & ipſe Regius me-
dicus fuerit, ſe tamen non annuente, Regiæ maieſtati catharticum exhibitum fuiſ
ſe crederetur. Itaque in ea verba erupit;* Viſum eſt Bucellæ, viſum & mi-
hi, vt prius quàm fractæ iam ſatis, grauius debilitarentur vires,
Catharticũ idem, quod antea, manè repeteretur. *Sed quamobrem ti-
bi viſum eſt, Simoni, idem catharticum, quod antea datum fuerat, repetere? Dic
quæſo aliquid. Reſpondet (ſic enim, vt vidimus, paulò ante in eius ſcripto legi-
tur)* ſequebatur morbi dies ſextus: cuius initium ſequens diei Ve-
neris nox, erat, & qui primus a quarto par eſt. *Sed quid tum? Subiun-
git ſtatim de eodem die ſexto,* aliquando inter Criticos incidens. ſed,
quòd eo plures pereant, peſſimus ac Tyranni nomine a veteribus
appellatus. *Hoc ſanè vel tyrones artis medicæ norunt. quare non erat, cur Simo
nius adderet;* Sanè ſi attentè legantur, *&c. Nam, ſiue attentè, ſiue oſcitan
ter, ab hõine quoq; non medico, legantur, quæ a Galeno loco a Simonio citato ſcri
buntur, intelliget, diem ſextum morbi, infidum & peßimum eße; &, ſi die ſexto
iudicari morbum acutum contingat, præſertim, vbi antea continenter pernicio
ſa ſigna apparuerint, magnopere metuendum eße. Verùmtamen, ſi ea ſimiliter le
gantur, quæ a Galeno in 1. de Criſibus, & in progn, & lib. de præcogn. ex pul
ſibus ſcripta ſunt, liquidò conſtabit, mortem Regis, non ſexto, ſed ſeptimo, vel no
no, vel vndecimo, vel quartodecimo etiam die morbi, fuiße expectandam; ſi mo
dò talis morbus fuißet, qualem Simonius deſcripſit, taliaq; ſymptomata mala ap
paruißent. At verò, etiamſi ſextus dies Regis morbo tantopere metuendus fuißet,
quid inde efficitur? Ergo'ne vehementißimum pharmacum die quinto ipſi erat ex
hibendum? Nequaquam. Ergo'ne drachmæ duæ maßæ pilularum cocchiarum, cum*

granis quinque Ellebori? *Minimè gentium. Immo nihil dandum erat. Quandoqui-
dem iam ſpes ſalutis deplorata fuißet. id quod ex ipſa narratione Simonij quilibet
artis peritus facilè colligere poteſt. Nam iuxta Galeni præceptum ;* Deplora-
2.4ph. comm. 79.& 12. Meth. tos non oportet curare, ſed morbi finem pronuntiare. *Et quorſum,
quæſo, tantum medicamentum, deſperatis iam rebus, exhibere? medicamentum,
inquam, non purgans præcipuè morbi fomitem, nempe atrum craßum humorem,
ſed pituitam, bilemq́; flauam potißimùm; easq́; a partibus longinquis; cum viæ ta-
men per Simonium eßent interclusæ; recipiens colocynthidem atque ſcammonium
aduerſantia cordi, ſpiritusq́; vitales turbantia. cum tamen cor, per eundem Simo-
nium præcipuè affectum eßet, Lipopſychiaq́; Rex laboraret, cui adiuncta febris*
Or. lib. 9. cap 3. *maligna eßet. Profectò non poßum ſatis iſtius hominis ignorantiam demirari. Ve-*
Benedic lib. 8. cap. 37. *rùm, quod ad veratrum attinet, veratrum nigrum exhibuimus; quod, quemadmo-*
Gal. lib. 4. de rat. vict. ad partic. 29. *dum & Cocchias Epilepticis conuenire, Oribaſius, Alexander Benedictus, & a-
lij teſtantur. Galenus autem, quem iſte citat, non de nigro, ſed de albo loquitur;
neque, vt ſoluens pharmacum, ipſum commendat, ſed, vt vomitorium. Quòd ſi
non intelligit Simonius, veratrum album a nigro differre, &, albo ſumpto, magis
debilitari vires, quàm ſumpto nigro, artis medicæ prorſus eſt ignarus.*

SIMONIVS.

LXXVII. Datum itaque (*ſcilicet medicamentum*) ſummo mane, quod quinti morbidi diei pars altera fuit, ac ſumptum. Interea temporis, qui tota illa nocte Regem obſeruaueram, & nihil animaduertere poteram, quod non funeſtum aliquem, & quidem ſubitum minaretur exitum.

RESPONSIO.

Ineptias hucuſque multas Simonij demonſtrauimus; ſed multæ adhuc ſuperſunt, quas vix recenſere animus patitur. deuorabimus tamen hunc laborem ne in itinere ſubſiſtere videamur. Quis autem ſummam Simonij in arte medendi inſcitiam hîc non demiretur? Commemorat vbique vires Regis fatiſcentes; pulſum languidum, inæqualem, intercidentem; vigilias continuas; & alia eiuſmodi; hîc quoque nihil non funeſtum ſe animaduertiße nocte præcedente dicit; & tamen cocchias pilulas ſumendas conſulit, medicamentum adeò vehemens, idq́; tam magna doſi. Omnino, ſi medicus eßet, puderet eum, cum finxißet, vires ita imbecillas, fateri deinde ſuo cõſilio tantum medicamentum fuiße datum. Sed, quia confingere vbique non veretur, in hæc mala imprudens incurrit, & ſuo indicio miſer, quaſi Sorex, perit. Verùm quomodo nihil, quod non funeſtum, et quidem ſubitum, minaretur exitum, animaduertit Simonius, ſi, vt ipſe paulò ante ſcripſit, vrinas vidit cum exiguis coctionis ſignis, quæ antea die Mercurij prorſus crudæ erant? Sanè ſalutis aliqua ſpes afful-

*ſpes affulſißet, nec omnia, perinde atque antea, deplorata fuißent, ſi aliqua in v-
rinis coctionis ſigna viſa eßent. Speranda enim fuißet maior & euidentior coctio
die ſeptimo, & die 14. naturæ victoria, reſtitutioq́; ſanitatis. Vt enim ex Galeno* De Criſib. cap. 8.
*audiuimus, Coctionis ſigna nunquam male apparent. Accedit, quòd, vbi funeſta i-
ſta ſigna recenſet Simonius, planè lethalis ſigni, quod tamen antea extitiße, bis
commemorat, prorſus nihil meminit; frigoris nempe partium extremarum cum
ſiti, de quò Hipp. in aphor & alibi ſæpe. Et cum huius peßimi ſigni non memine-* 4. Aph. 48.
*rit, immo, cum aliqua coctionis ſigna apparuiße ſcripſerit; nunc tamen ait, ſe ni-
hil animaduertere potuiße, quod non funeſtum aliquem, & quidem ſubitum mi-
naretur exitum. Quod quidem cum Galeni ſententia pugnat, qui coctionis ſigna* 1. de dieb. decret. cap. 16.
cum lethalibus coire non poße, ſtatuit.

SIMONIVS.

Conſilium meum excundi ex arce: indicandiq́; Senatoribus Regni, & Magni Ducatus rem omnem clam Bucellæ communico. LXXIIX.

RESPONSIO.

Nihil mecum hac de re communicauit mihi'ue indicauit. quod ſi fecißet, aperuißem ego ei, die Mercurij, cum ipſe affirmaret, morbum nullius periculi eße, & ſuaderet, vinum exhibendum, me Reuerendißimo Procancellario Regni per dominum culinæ Magiſtrum ſignificaße, Regem non ſine ſuæ vitæ diſcrimine ægrotare; & idipſum me eadem die Mercurij ſubobſcurè, & die Iouis apertißimè Procancellario Magni Ducatus declaraße. Quapropter minimè opus erat, cum Rex propemodum animam ageret, eos adire, vt iam notum eis denuntiaret periculum. id quod propterea Simonius facere cogitauit, quia neque morbum, neque morbi magnitudinem vnquam, niſi cum iam iam Rex moriturus eßet, cognouit.

SIMONIVS.

Obſeruabat omnia Ferenz Veſelinus, ne inſcio ſe, quiſquam prodiret. (*nimirum ex cubiculis Regijs in vrbem.*) LXXIX.

RESPONSIO.

Falſum eſt. Nam ipſe Simonius ſingulis diebus ad hoſpitium ſuum liberè exibat, & ego interdum a prandio exibam. Hoc autem omnes teſtari poßunt. Sed ridiculum, quòd Simonius hîc ita loquitur, quaſi timeret ſibi a Veſelino; ſuperiùs autem malis verbis ſe eum increpaße dicit. Ridiculum, inquam, quaſi per Veſelinum exire non liceret ei, cui Veſelinum acriter increpare, Rege audiente, licuit.

SIMONIVS.

Triſti hoc ille, atque inexpectato nuntio perculſus, (*Regni videlicet Procancellarius, quàm grauiter Rex ægrotaret, audiens*) aliquandiu hæſit animo. Tum ductis ab imo pectore ſuſpiriis, ruptoq́; ſilentio, XXC.

dixit,

dixit. Pridie quidem illius diei,ac biduo ante,se cum aliis aliquot Senatoribus in arcem venisse ac in anteriore hypocausto,in quod omnibus patebat ingressus, aliquoties fuisse,omnemq; mouisse lapidem, vt ad Regem admitteretur,vel saltem de toto ægritudinis ipsius Maiestatis statu, ex Medicis, certum cognosceret aliquid: sed facta tamen a Veselino spe, datis verbis, tractum de die in diem,deq; hora in horam, hactenus fuisse delusum.

RESPONSIO.

Non potuit Procancellario Regni inexpectatum hoc esse,qui huius rei a me die Mercurij (vt dixi) fuerat commonefactus. neque potuit is verba ista dicere, qui eodem die Mercurij ad Regem fuit admissus.

SIMONIVS.

XXCI. Allatus cibus Sorbuit Rex ouum recens,ex culina Ferenz Veselini allatum. Exin,quid sibi bibendum esset,petiit. Vbi a Bucella & Veselino audiuit,Aquam:grauiter indignatus,esculentis reliquis à se procul manu reiectis, nihil quicquam cibi capere amplius voluit.

RESPONSIO.

Regem die Veneris satis comedisse,& vinum bibisse, certò scio ; interfui enim. &, si Veselinus interrogetur, idem dicet. Lepscenij quoque testimonium legi in suis, ad Illustrem & Magnificum Ioannem Kiszkã Samogitiæ Capitaneum, literis, de morbo Regis nostri (has literas nunc primum habui & apud me seruo) in quibus apertissimè scribit, Regem die Veneris comedisse mediocriter, & bibisse vinum. Et Magnificus Leo Sappieha Lithuaniæ Procancellarius semper testari poterit, a prandio statim, cum adhuc mensæ assideret, sibi a Nobili Christophoro Morstin Philippouiæ præfecto meis verbis secretò significatum esse, Regem tum multum bibisse vini,atque ideo vereri me, ne nocte sequente, superueniente paroxismo, vitam finiret. quare, si placeret, Magnifico Castellano Vilnensi hæc indicaret. vt, si quid Regi humanitus contingeret, scirent,quid esset agendum, ne qua in aula seditio aut turbatio fieret.

SIMONIVS.

XXCII. Ibi ego Bucellæ dicere : Hippocratem, non Lithuanum,non Vngarum, sed Coum, in eiusmodi morbo,vt cognosci ex citato iam multoties lib. sent. 29. potest,a vacuatione per veratrum, & sectione venæ, refectionem imperare,

RESPON-

RESPONSIO.

Nihil mihi quicquam tale dixit; neque erat,quamobrem hoc mihi diceret. Verùm appositè sanè, Non Lithuanus,non Vngarus,sed Cous fuit Hippocrates. Sed in longè etiam diuerso morbo ab Epilepsia, qua Regem laborasse probauimus, refectionem consulit. non quidẽ ab euacuatione facta veratro nigro per inferiora, sed ab euacuatione albo facta per vomitum ; non post appositas cucurbitulas, sed post sectam venam. (Vtinam verò Regi,idq; primo ipso die,secta fuisset vena.) Hæc autem magis vires prosternunt, quàm ea, quæ adhibuimus ; ideo etiam refectionem magis desiderant. Sed sanè, si talis casus planè fuisset, qualem Simonius descripsit, vt tantus adesset sanguinis feruor, non vino, sed cibis potiùs reficiendæ vires fuissent. Nunquid aliud nihil est, quàm vinum, quod vires reficere possit ? Præterea, cur ab effusione copiosa sanguinis e vulnere,victum tenuem se præscripsisse scribit Simonius ? cur, post appositas cucurbitulas die Iouis, refectionem non suasit ? Tum enim, prandium & cœnam exiguam fuisse refert;& tamen detractus fuerat sanguis per cucurbitulas ad vncias octo. Frustra ergo nunc mihi obstrepit Simonius, &, ea facienda fuisse, dicit, quæ ipse, cum posset, non fecit tamen.

SIMONIVS.

Post meridiem igitur,hora plus minus vna,lãguentes iam, non XXCIII.
nihil attollens, & circumferens oculos, ad nos conuersus Rex, submissã, & vix exaudibili, nec firma iam satis voce, sitienti sibi concidere iam vires, dixit. Ibi tum serò sapiens, rapidis (vt est apud Poetam) accurrens Bucella passibus, aureum poculum, in vicina mensa positum, quo dilutum vinum iam ante triduum a me (sed frustra) paratum,inditis aliquot panis taleolis,continebãtur,suis non meis accipit manibus,ipsiusq; Maiestati porrigit.

RESPONSIO.

Mendaciorum plena omnia. Neque Rex de virium imbecillitate conquestus est, neque ego ei vinum exhibui. Stultè etiam de vino, quod in mensa triduum in poculo aureo manserit, comminiscitur. nam singulis diebus pocula auferebantur ; & singulis etiam diebus recens adferebatur vinum. Sed hæc omnia fingit, vt, Regem ex collapsis viribus obiisse, persuadeat ; pro quibus tamen reficiendis nullum vnquam restauratiuum (vt dicitur) præscripsit. Præscripsi ego quidem contusum (vt vocant) sed non datum est. Cum enim animaduertissem, Regem in prandio die Veneris multum vini hausisse generosi; præuidi, paroxismum multò vehementiorem superuenturum, & difficultatem respirandi, quæ consequebatur,grauiorem multò futuram; vt, si tum vi paroxismi non moreretur, vires tamen multùm col-

lapsuræ eſſent. At acceſsionis violentia, non quidem, quòd vires adeò labefactarit, ſed quòd aucta a vino morbifica materia eſſet, eum ſuffocauit, & ex hac luce eripuit.

SIMONIVS.

XXCIV. Reuerendiſsimus Epiſcopus Premiſcilienſis, verbis quæ a me audierat, territus, diutius non eſſe cũctandum ratus, cum Magnifico Domino Leone Sappieha Magni Ducatus Lithuaniæ Procancellario in arce adeſt. Petit, inſtat, vrget, vt intromittatur. Ducitur vterque tandem a Ferenz Veſelino in hypocauſtum a regio cubiculo ſemotum longius.

RESPONSIO.

Et hoc apertum eſt mendacium. non enim Reuerendiſsimus Premiſlienſis Epiſcopus, verbis Simonij territus, venit in arcem (addo quòd fuerat antea a me commonefactus) ſed iuſſu Senatus ex relatione Magnifici Sappiehæ a me de inſtante morte Regis admoniti.

SIMONIVS.

XXCV. Primus ad eos vocatur Bucella: quo ad Regem reuerſo accerſor ego.

RESPONSIO.

Et ſi parum refert, quo pacto hic res ſe habeat; tamen mirum eſt Simonium, qui ſuam fidem obſtrinxit, Deumq; mendacium vindicem obteſtatus eſt, ſe omnia, vt fuerunt, quàm veriſsimè narraturum, non pudere propter ambitiunculã quandam, ne dignitas videlicet ipſius, nomenq; obſcurum fortè redderetur, ſi ipſo præſente, alius prior locutus eſſet, fingere, nos non ſimul, ſed ſeparatim alterum ab altero fuiſſe vocatos. cum tamen teſtimonio duorum illorum grauiſsimorum virorum mendacij conuinci poſsit.

SIMONIVS.

XXCVI. Dum ea non modo repeto, quæ mane dixeram: ſed etiam prope iam certam eſſe deſperationem, artemq; vel potius curantium inertiam, malo victam affirmo, en qui me ad Regem reuocat. Aduolo.

RESPONSIO.

Ambo Procancellarij teſtes mihi ſunt, cum eis rationem, præſente Simonio, reddidiſſem, quamobrem Senatoribus hactenus palàm, Regem grauiter ægrotare non indicaſſem, me huiuſmodi verba addidiſſe; Faxit Deus, vt res aliter cadat. Verùm omnino arbitror, Regem breuiſsimè moriturum. Simonium verò, cum affirmaſſet, morbum Regis nõ vacare periculo, dixiſſe tamen; nec ſex horarum, ſed ne diei quidem

ſpatio poſſe quidquam de Regis morte prædici; niſi vt ſe paroxiſmi oſtenderent. At miſer iſte, vt famam ſuam ſaltem apud eos tueatur, qui Magnificos Procancellarios interrogare non poterunt, parum curat, ſi ab ijs, qui rerum omnium ſunt conſcij, impudens mendacium protuliſſe deprehendatur.

SIMONIVS.

Veſelinus culpam deinde in vinum illud a Bucella, ante duas horas conſilio meo exhibitum, tranſtulit omnem. XXCVII.

RESPONSIO.

An conſilio Simonij, nec'ne, ante duas horas fuerit vinum exhibitum, ignoro. Hoc ſcio, & ex arte teneo, Regem, niſi in prandio vinum generoſiſsimum idq; largiter, bibiſſet, veſperi eius diei moriturum non fuiſſe. Siquidem, cum die Iouis extractus ei eſſet ſanguis per cucurbitulas, & vinum non bibiſſet, nocte ſequente parum, immo vix fuit paroxiſmo correptus. Die igitur Veneris, cum, acceptis pilulis, aluus ei quater, vel, vt Simonio placet, quinquies ſoluta fuiſſet, eò meliùs veſperi deinde habere debuiſſet. Sed, cum multum vini fortis bibiſſet in prandio, veſperi, bis grauiter correptus, obijt; quemadmodum ipſe Magnifico Sappiehæ prædixeram.

RESPONSIO.

Dum ſeſe ab eo recolligit Rex, reſolutis potius, quàm contractis membris omnibus, tanta ac tam ſubita & graui præcordiorum oppreſsione corripitur, vt proſtrato iam ægritudine, vigiliis aquæ vſu, robore, illius vi, nullis prorſus apoplecticis aut epilepticis notis (quidquid vnquam aut vſquam, ad ſuam quoq; craſſam Empiriam vtcunq; excuſandam, Bucella cum fido ſuo Achate Ferenz Veſelino ſomniet, ac dictitet) apparentibus, momento, id quod manè (quo inquam tempore vinum imò verò & cibum nondum guſtauerat Rex) Reuerendiſsimo Epiſcopo Premiſcilienſi prædixeram, fuerit ſuffocatus. XXCIIX.

SIMONIVS.

Magnifici Procancellarij, qui, Rege mortuo, ſtatim ſunt intromiſſi, eumq; adhuc calentem deprehenderunt; Theſaurarij, qui tũ Grodnæ aderant, et horã vnã poſt mortem ad Regem ingreſſi ſunt; intimi cubicularij; Pharmacopola; & alij qui Regium corpus lauerunt, mihi teſtes omnes ſunt, Regem, contractis, non reſolutis, temporum muſculis obijſſe. Viderunt enim hi omnes, Regem ore clauſo, non ligato, mortuum. Iam dicat Simonius, an Syncopi, & ex virium imbecillitate defunctus, ore clauſo, poſtquam expirauerit, maneat. Interrogentur ſanè omnes. nam non eſt hoc meum commentum, ſed veritas ipſa, ad Simonium mendacij conuincendum,

uincendum, qui suâ inscitiâ, & petulantiâ, vinum concedendo, Regem dominum nostrum clementißimum interfecit. Ea verba; Id quod manè (quo inquam tempore vinum, immo verò & cibum nondum gustauerat Rex) Reuerendissimo Episcopo Premiscilienſi prędixeram; addita sunt a Simonio, postquam literas Secretarij Chiakoris legit, ac postquam a Magnifico domino Leone Sappieha Procancellario Lithuaniæ intellexit, me die Veneris a prandio ei nuntiaße Regi mortis periculum imminere. Scribit igitur, se id prædixiße, antequam vinum biberet; vt inde colligat, si dijs placet, Regem nequaquam ex vino epoto obijße. Verba autem ista postmodum addita fuiße scripti Simonij manu scripta exemplaria, quæ in Varsauiensibus comitijs sunt euulgata, quorum nonnulla etiamnum apud me sunt, satis superq; declarant. & Reuerendißimus Episcopus Premisliensis semper testabitur, non manè, sed a prandio, duabus circiter horis, antequam Rex moreretur, sibi id a Simonio nuntiatum. Cæterùm dicat, quæso, Simonius, vnde colligere potuerit, manè, & sic antequam medicamentum suas exeruißet vires, Regem eo die ad vesperam de vita periclitaturum. Nam, si dixerit, ex signis noctu obseruatis. Cur igitur tam validum medicamentum, quod a remotis etiam partibus traheret, Regi tantùm non animam agenti exhibuit? Absurda nimis hæc sunt, in quæ, vt peßimam suam causam prætextu aliquo tueatur sciens prudensq; illabitur Simonius.

Veritas actorum diei Veneris.

Tribus ante lucem horis Rex maßam pilularum cocchiarum, eadem dosi, qua antea, cum granis quinque extracti Ellebori nigri accepit; ex qua ante prandium ter, a prandio verò semel mediocriter aluus ei subducta est. In prandio post acceptum sorbile ouum, vinum petijt. cumq; ego rogarem, vt biduum saltem ab eo abstineret, suasit Simonius, vt biberet. Itaque, cum satis comedißet, bibit Rex vinum, & largiùs, quàm vnquam antea, in hac postrema sua ægritudine fecißet. Nam, cum die præcedente non cœnaßet, ex ieiunio, & ex accepto medicamento valde sitiebat. A prandio statim decubuit; visiq; sunt eius oculi turbati, & facies præter consuetudinem rubens, & tristis. Ego, placidè admota manu, pulsum explorans, eum inæqualem & febrilem deprehendi, qualem nunquam in toto hoc morbo Rex habuerat. Tum Simonio Regiæ vitæ imminens discrimen & periculum patefeci; & cum in hospitium meum mox me recepißem, per Christophorum Morstin filiæ sororis meæ maritum, idem Magnifico Sappiehæ Procanc. Lithuaniæ indicaui. Is a mensa surgens, ad Castellanum Vilnensem illico se contulit, &, re ipsi declarata, conuocati sunt ad ipsum Magnifici, qui tum aderant, Senatores. Interea temporis, dum hæc fiunt, ad Regem ipse iterum ascendi, & Simonius ad

Reuerendißimum Premisliensem Episcopum abiuit indicatum (vt postea audiui) Regem de vita periclitari. id quod priùs minimè fecerat; nec tum fortè fecißet, nisi a me, vt ante dixi, de Regiæ vitæ discrimine audißet, meq; turbatum & tristem vidißet. Horâ vnâ ante vesperam venerunt in arcem ambo Procancellarij; &, vocatis nobis duobus Medicis, vtrumque simul nomine Magnificorum Senatorum allocuti sunt, quærentes, quamobrem, cum Serenißimus Rex grauiter ægrotaret, id non indicaßemus Senatoribus; & quid de eius incolumitate speraremus. Respondi ego paucis, propterea nihil me Magnificis Senatoribus hucusq; indicaße, quòd non putaßem, mei muneris id eße (præsertim cum Rex aliter & voluißet, & iußißet) sed Regi domino meo laboranti adeße. Verùm, quando id quærerent, significare me illis, Regem ægrotare, & quidem grauißimè, vt breui admodum spatio vitam ipsum ducere iam poße, putem. Simonius deinde incepit suam sententiam dicere. quo tempore a domino Lepscenio vocatus, accurri ad Regem; qui, correptus paroxismo, & tum primum ad se reuersus, grauißimè respirabat. Dum vnà cum ipso cubiculario frictionibus Regem leuare contendo, superuenit Simonius. qui, vt postea intellexi, similiter quidem dixerat, Regem grauissimè laborare; sed de vita aut morte non poße sex horarum, sed ne diei quidem vnius spatio quidquam certi prædici; nisi, vt paroxismi vel leuiores vel sæuiores sese ostendißent. Paulò post aduenit & Veselinus. & ecce, non discußa adhuc difficultate illa respirationis, iterum grauiter corripitur; & quidem ita grauiter, vt non ampliùs restitutus, Rex fortitudine, ac iustitiâ siue nostro siue superioribus seculis ferme incomparabilis, vitam cum morte commutarit.

SIMONIVS.

Tristis perpetuò in tota hac ægritudine fuit ipsius Maiestas, XXCIX.
adeoq; vt facetis etiam atque opportunis iocis, vix ad momentaneam hilaritatem excitari, vnquam fuerit visus: taciturnus: minimè querulus, patienti animo ferens quicquid acciderit.

RESPONSIO.

Pergit falsa dicere. Conuinci autem potest Reuerendißimo Premisliensi Episcopo, & Magnifico Magni Ducat. Procancellario, testibus, qui diebus Mercurij, & Iouis Maiestatem Regiam visitarunt, eamq; hilarem cum animi constantia, firmoq; sermone, quasi integrè sanam, inuenerunt.

SIMONIVS.

Quod verò tam subitò conciderit, minus mirabitur, qui eius- XC.
modi exitum cõmunem ferme omnibus eius habitus & corporaturæ, vitæq; principium esse animaduertere potuit. Accidit id, magnitudine morborum, symptomatum vehementia, causarum

vi & pertinacia, onere ac labore viscerum maiore, quàm ferre vires possent, difficultate curandi: Quò attinent illa, quæ ab Hipp. lib. 2. Aph. 44. literis prodita sunt.

RESPONSIO.

Expenduntur ea, quæ Simonius attulit, vt causas subitæ Regis mortis exponeret.

Regis corporaturam, & habitum superiùs dixit esse carnosum, inquiens; Habitus corporis bene carnosus. *Et infra.* Erat in summa Regis corpus salubribus vocatis plurimùm, & iis, quæ laudata καθ' ἕξιν sanitate quadam constant, adnumerandum. *Hîc autem dicit, commune esse eius habitus & corporaturæ, subitò mori. Sanè, qui bono corporis habitu præditi sunt, subitò mori non possunt. necesse est enim vehementissimam eam causam præter naturam esse, quæ hunc nexum, qui animæ cum corpore intercedit, soluere subitò possit. Nec quicquam eorum est, quæ bonum constituunt habitum, quod exitium etiam inferre possit, nisi per accidens. nam idem, vt aiunt, secundum idem, per se oppositorum causa esse non potest. Quòd si, Subitò mori, idem est hoc loco apud Simonium, quod, Non diu viuere; id quoque falsum est. nam, vt Galenus ait, Bene carnosum esse natum, longæuæ signum est vitæ. Si verò, per Habitu carnosum, Obesũ intellexit, huncq; non diu viuere posse voluit, huc quidem spectant, quæ ab Hipp. 2. aph. 44. prolata sunt; nimirum, eos, qui naturâ admodum crassi sunt, citiùs interire, quàm, qui graciles. Verùm impropriè locutus est. aliud est enim, carnosum, aliud, obesum esse. Deinde, licèt verum sit, crassiores, eò quòd arterias ac venas angustas, atque adeò parum sanguinis, & spiritus paucos habeant, citiùs mori (nam in eis insitus calor magis, quàm in gracilibus, qui venas & arterias latiores, atque ob id spiritus, & sanguinem copiosiorem habent, extinctioni obnoxius est) tamen aliud est citò, aliud subitò, vt pote quinque dierum spatio mori. Fieri enim facilè potest, vt gracilis aliquis, ad centesimum vsque annum perdurans, subitò deinde intereat; obesus autem crassus'ue alius quispiam vix quinquagesimum attingat: & tamen non subitò, sed diuturno confectus morbo, moriatur. Verum est, Regem & carnosum, & obesum fuisse. Sed non ob id tamen sequitur, vt tam subitò concidere debuerit. Causæ, quamobrem crassiores gracilioribus faciliùs intereant, sunt, quas paulò ante ex Galeno, & ex probatissimis quibusq; autoribus recensuimus. Verùm Andabata iste, qui vbique tamen, se Galeno, Hippocrate, et omni antiquitate oculatiorem sapientioremq; profitetur, alias causas adfert in medium.* Accidit id (*inquit*) magnitudine morborum, symptomatum vehementia, difficultate curandi, causarũ vi & pertinacia. *Verùm non crassi solùm, sed et graciles magnitudine morborum, symptomatum vehementia, causarum vi & pertinacia, difficultate curandi, subitò concidere possunt. Et ex his non minùs frequenter accidit, vt graciles, quàm, vt crassi,*

ª Aphor. 44.

vt crassi, moriantur. Quod de onere ac labore viscerum maiore, quàm ferre vires possint, recenset, videtur peculiarius aliquid habere, quàm cætera. Sed tamen hæc ratio ad spirituum paucitatẽ potiùs erat reuocanda, quàm ad ipsum viscerum onus. Si enim in istis magna adesset spirituum copia, omnino viscerum onus ferre possent. deinde verum est hoc tantùm in valde pinguibus, non in carnosis & moderatè obesis, vt Serenissimus Rex erat. Magnitudo porrò morbi non tanta erat, vt curâ vinci non posset. Nam etsi conuulsio, præsertim capitis, apertissimè conspiciebatur; tamen neque spuma, neque seminis, aut excrementorum aliorum eiectiones vnquam adfuerunt; & citò se ægrotus colligebat. Symptomata erant vehementia, & causæ fortes; sed non ita tamen, vt non auferri potuissent, cum iam vi medicamenti causa imminuta, & symptomata leuiora facta essent, si fomes morbo non fuisset semper subministratus. Onus viscerum tantum non erat, vt vires Regis robustissimas superaret. Ac demum difficultas curandi nulla fuisset, si omnia in tempore præsidia adhibita essent; sectio, nimirum, venæ: purgatio; & quod omnium maximum est, si vinum concessum non fuisset. Hoc enim, chronicum morbum acutum fecit; symptoma, illam nempe inspirandi difficultatem, auxit; causas contumaciores reddidit; & curationem denique omnem subuertit. Hîc autem in causis istis subitæ mortis afferendis & enumerandis, Simonij licèt conspicere tum ignorantiam, tum fraudem, & astum. Nam, quid opus erat causas multas subitæ illius mortis emendicare, si intereceptione venarum Rex laborasset. Præterea cum hucusq; clamauerit, ex aquæ potu, & ex virium, imbecillitate obijsse Regem; iam, cum ex professo disputat, quamobrem tam subitò interierit, de his ne verbum quidem facit. Causa est; nam animaduertit bonus iste, non cohærere hæc, immo absurdum esse, asserere, hominem ætate adhuc firmum, habitu carnosum & pinguem, ex virium languore, ob modicam inediam, subitò obijsse. Graciles quidem facilè hoc interire modo possunt; pingues autem nequaquam. nam in eis pinguedo, vbi cætera desunt, pabuli loco est. Et videtur omnino in hunc vsum in animalibus omnibus, sed in ijs præsertim, quæ in latibulis hyeme degunt, a natura conseruari pinguedo, vt, si pabulum desit, hæc illius locum subeat.

Sectio cadaueris Regii.

SIMONIVS.

Triduo post Regis obitum placuit Illustrissimis Senatoribus,
vt cadauer ipsius, quod iam etiam a longinquo malè olere, præ ni- XCI.
mia pinguedine, aperto abdomine ac thorace, intestinis viscerib.
liberaretur: atque vnà, quo minus corruptioni obnoxium, integra atque immutata facie, conseruari diutius posset, gratis odoribus suf-

ribus suffitum, & suaui liquore aliquo intus lotum & perfusum condiretur. Eos igitur qui tam tristi ministerio præesse debuerunt, certam quandam, & mihi familiarem, eius rei præstandæ rationem docui.

RESPONSIO.

Vt insinuet, se in hoc quoque contemptibili munere esse uersatum, in hæc verba erumpit; Eos igitur qui tam tristi ministerio præesse debuerunt, certam quandam, & mihi familiarem eius rei præstandæ rationem docui: *cum tamen præter me nemo lugubri illi ministerio præfuerit, a quo certè (absit arrogantia dicto) discere potiùs, & huiusmodi, & alia multa Simonius posset. Iam eum, qui manum operi adhibuit, in meo hospitio habitantem Chirurgum Regium minimè docere potuit Simonius. Sed nec alios duos Germanos. nam eos tum allocutus non est; & cum eis in Regio hypocausto indicassem, in quem vsum vocati essent, ignorare se hæc responderunt, neq; vnquam talia administrasse*

SIMONIVS.

XCII. Ego qui assiduo dolore ex morte Regis domini mei clementissimi, misere cruciabar, nouæ illius crucis esse spectator nolui. Id vbi Bucella cognouit, quem rei benè ac præclarè gestæ conscientia vellicabat, ratus iam commodum se esse nobilis ac magnifice barbati magisterii sui, ostentandi locum ac tempus nactum, quo iudicia hominum præueniret, rogatus ipse comparuit.

RESPONSIO.

Simonium parum doluisse ob Regis mortem, demonstratur.

Crucis genus est etiam homicidis eum videre, quem interfecerint. Sed quàm parum doluerit Simonius Regis ac domini sui casum, illud palàm fecit. Nam, cum Caunæ non multò post obitum Regiæ Maiestatis, Petrus Pottenhofer Germanus, ciuis Caunensis nuptias filiæ, quam nuptui dabat, celebraret, quibus Simonius vnà cum Illustr. Principe Radziuilo interfuit, adeò lasciuiebat, ridendo, ludendo, saltando, vt plerisque admirationi & risui fuerit, nonnullis verò etiam nauseam mouerit. Commonefactus autem ab Illustrissimo Principe, non decere in tam recenti Regiæ mortis memoria ita insanire. Illud Seruatoris nostri, eleganter & appositè scilicet, vt solet, respondit; Sinerent, vt Mortui suos mortuos sepelirent. Iam, vt ad rem redeamus, ipse non priùs cognoui, Simonium nolle exenterationi adesse, quàm coram Senatu me stitissem; vbi Simonius mox post me locutus interesse recusauit. An conscientia rei bene (vt Simonij ironicis verbis vtar) ac præclarè gestæ me, an verò Simonium potiùs vellicet, ex innumeris mendacijs, quibus se tutari conatus est, constare liquidiùs opinor, quàm, vt a me verbis exprimi possit.

SIMONI-

SIMONIVS.

Vbi ad cadauer ventum est, apprehensam prius dextra manu barbam, aliquoties mulcens, in hunc modum, atque his ipsis verbis, quę a multis tum diligenter adnotata fuere præfatus est. Domini ego sum Anatomicus, sed quia sum Physicus, ideo non possum facere manu mea, sed docebo istis quomodo facere debeant. Aderant Doctor & Chirurgus Aulę: Pharmacopola Regius: Dispensator Regii penus: & ministri quidam alii. XCIII.

RESPONSIO.

Ita scommatibus, dicterijs, facetijsq; delectatur Simonius, vt hæc vbique inculcare studeat, nulla veritatis ratione habita, nihil'ue curans, etiamsi scurræ loco habeatur. Atqui ista, licèt me petant, tamen me parum mouent. Nam, quanta Simonio fides tribuatur, scio. Me nihil istorum dixisse, neque eiusmodi verba protulisse, omnes hi, qui interfuerunt exenterationi, & ab ipso Simonio, vno tantùm excepto, sunt nominati, testimonium mihi præbere possunt; Excellens Goslawski Medicus aulæ; Guilhelmus Chirurgus, Angelus Pharmocopola Regius, Dispensator Regius, Franciscus Maffo Organista (vt vocant) & serui quidam. Omnes hi Italicè norunt præter dispensatorem, & Guilhelmum Chirurgum, qui neque Latinè callet. Quid ergo erat, quamobrem cum eis Latinè loquerer. Deinde non erat opus quenquã docere: (vt Simonius me voluisse ait) Chirurgus enim Regius Ioannes Zigulitz, qui opus illud suis manibus absoluit, probè nouerat, quid, & quomodo sibi faciendum esset. Nam paucis ante diebus Danielis Moretti cadauer, & Herculis Rosetti exenterauerat.

SIMONIVS.

Ducta igitur sectione, quæ peritonæum quoque penetraret, a iugulo ad os vsq; pubis, deinde alia vtrinque, ab vmbilico ad ilia, disruptis dilaceratisq; vasis omnibus, confestim cadauer exenterant. XCIV.

RESPONSIO.

Alterutrum vt sit, necesse est; vel, vt hîc aliquod monstrũ alat Simonius, velitq; eos carpere (iniuriâ autem id faceret) qui id operis administrarunt; vel, vt anatomicæ administrationis ignarissimus sit; quippe qui putet, humana cadauera, quemadmodum brutorum, exenterari vna nempe sectione ducta, quæ rectà abdomen, & thoracem aperiat. Credibilius autem hoc est. nam & superiùs dixerat, placuisse Illustrissimis Senatoribus, vt Regis cadauer, aperto abdomine, ac thorace, intestinis visceribusq; liberaretur. Ita'ne humana exenterantur corpora Simoni? Hoc verò esset lanium agere. Nam cum os pectoris, quod sternum vocatur,

P latum sit

latum sit & firmum; qui a iugulo sectionem ducere vellet, omnino securi opus ha-
beret. immo nec ita in humano corpore succederet, vt in brutorum. In humano
enim corpore vtrinq; iuguli ossa robustissima sunt, quæ apertionem impedirent.
Hæc igitur loco saltem mouenda fuissent. & sic cutis, & corpus vniuersum fuis-
set defædatum; id quod non fuit. Nam Chirurgus, cum tuam istam rationem ne-
sciret, aliam iniuit, quæ omnibus, vno excepto Simonio, rerum nouarum semper
autori, & inuentori, familiaris est.

SIMONIVS.

XCV. Tandem verò duobus tribus'ue in locis per medios pulmones, ducta sectione (*Bucella*) se nullum in iis deprehendere vitium diserte pronuntiat, deprehensurum procul omni dubio in capite aliquod, si illud quoque aperire liceret. Non potui, vbi ista mihi renuntiarentur, continere risum.

RESPONSIO.

Sanè doluisse te potiùs arbitror, Simoni, vbi pulmones minimè affectos audiui-
sti, & hinc factum esse, vt qui hactenus futiliter contenderas, Regem Asthmate la-
borasse, alium deinde imaginatus sis morbum, cui tuo consensu administrata præ-
sidia, malè etiam conuenire possunt. & sic, quoquo te vertas, flendi potiùs, quàm
ridendi, causam habes. Cæterùm, quid tu ais, me dixisse, deprehensurum me ali-
quid in capite, si illud quoque aperire licuisset? cur non licebat mihi caput aperi-
re, & cerebrum, quemadmodum & cor, extrahere? Certè in Italia, Gallia, Hispa-
nia, vbi frequentiùs, quàm in hisce frigidis regionibus, hæc administrantur, non
minùs cerebrum, vt pote quod celerrimè putresit, quàm cor, extrahitur. Omni-
no, quid tum dixerim, non recordor. Sed, etsi istud dixissem, non adeò absurdè ta-
men, vt putas, locutus fuissem. Nam inuentum forte fuisset in ventriculis cerebri
aliquid præter naturam. fuissent forsitan superfluo humore aliquo, vel mucore
referti. Narrat Fernelius, aperto defuncti Epileptici Philosophi capite, inter cras-
De abd. rerum causis cap. 15. *siorem meningem, & os, in angulo quodam, putris humoris obseruatum fuisse,*
modicum latere, ac cerebri substantiam humore fœdissimo imbutam. Et alibi scri-
bit, Eius, quæ in cerebro fit, Epilepsiæ, aperto capite, causam interdum depre-
hendi cerebri abscessum: interdum meningis portionem caluæ adhærentem. Et Hip-
Lib 3. fen. 1. tract. 5. cap. 8. *pocrates (vt Auicenna refert) multis dixit, qui Epilepsiam patiuntur, quando a*
cerebris suis (sic ipse loquitur Auicenna) anatomatizantur, inuenitur in eis hu-
miditas mala fœtida.

SIMONIVS.

XCVI. Ad pulmones verò quod attinet: quis tam rudis atque imperitus, & in artis exercitatione tam parum versatus est, qui nesciat, pulmoni-

bus etiam non infarctis, aut nullo incluso humore impeditis asthmaticam illam præcordiorum oppressionem, qua Serenissimus Rex momento suffocatus est, sequi posse? Febrium ardentium, per quas, dico, æruginosa bilis, circum cor exæstuat indiuidua comes est, at quæ ibi obsecro pulmonum labes?

RESPONSIO.

Iam de oppressione illa, qua Rex suffocatus est, non agimus. hæc enim quomodo fuerit, vix potest assequi Simonius, ita est artis ignarus. Vtinam verò tum intellexisset. Sed nec de qualibet asthmatica oppressione hoc loco agendum est; verùm de ea, qua tum Regem laborare, contendebat Simonius. Nam, etsi nunc alium finxerit morbum, tum tamen, Regem asthmate propriè dicto laborare, asseuerabat. Nihil ergo est, vt de febribus ardentibus quidquam hîc loquatur. Scimus enim, crebrum anhelitum, & anginam, & inflãmationem septi transuersi, & suppurationem, immo & vehementem corporis exercitationem cõsequi, nulla in pulmonibus labe existente. Scimus etiam, verum Asthma ex tuberculo in trachea arteria fieri posse. Verùm non de his, sed de Asthmate propriè dicto, quale Simonius prædicabat Regis nostri morbum esse, lis est, num absque pulmonum vitio fieri potuerit. Nam Asthmatis varias differentias confundit Simonius, videturq; negare, Asthma propriè acceptum vitio potissimùm pulmonum fieri. quod tamen omnes fatentur. Asthma propriè acceptum non sine vitio pulmonum fieri *Et quia in re satis manifesta versamur, Auicennam, Galenumq;, vt alios nunc omittamus, sufficiet audisse. Auicenna decimâ tertij,* Asthma, *inquit* cap 4.
est ægritudo pulmonis, cum qua patiens non inuenit excusationem ab anhelitu frequenti. *Galenus autem hæc verba habet;* Et Asthma Lib. 3 com. aph. 26.
(sic autem Græci vocant crebrum anhelitum, qualis currentibus accidit, aut quouis alio modo ad vehementem ductis motionem) sed in his quidem fit ob exercitium, quod multa indiget animal respiratione. vbi autem non adest exercitium, ob angustiam eorum, qui sunt in pulmone ventriculorum. Hæc verò angustia fit repleto viscere, ab his, quæ desuper veniunt, fluxionibus. *Hîc apparet, Galenum propriè dictum Asthma a communiter dicto distinguere. Communiter autem dicti vnicam commemorat differentiam; cum infinitæ tamen sint. Sed satis ipsi fuit dixisse, Asthma pro quouis crebro anhelitu accipi posse; at propriè tamen acceptum aliud significare. Et sanè, si dixisset Simonius, Regem asthmaticè inspirare, vbi crebrum trahebat spiritum; facilè hoc illi concessissem. Sed morbum ipsum, Asthma vocare, nihil aliud erat, quàm insanire. Nam respiratio illa impedita, alius affectus, quàm Asthma erat; vel potiùs nõ erat ipsa primarius affectus, sed alium affectum, nempe Epilepsiam consequebatur; vnde & Auicenna diffi-*

 cultatem

Lib. 3 fen. 1. tract. 5. cap. 9.

cultatem spiritus, inter signa Epilepsiæ, quæ malignior est, posuit. Ideo dum eo morbo non vexabatur, liberrimè semper spirabat. id quod omnes, qui cū eo tum locuti sunt, testari possunt. Quòd si asthma, primarius affectus fuisset, non priùs Rex cecidisset, quàm difficulter spirasset; & tum non fuisset absq; aliquo pulmonum vitio. quod cum iam neget Simonius, luce meridiana clariùs constat, eum in voce Asthmatis ludere, ab eaq; opinione, quam antea professus est, discedere.

SIMONIVS.

XCVII. Consequitur etiam humoris copiam (oppresio asthmatica) qui in præcordiis firmatus, per febrim deinde impulsus, diaphragma premit, pulmonibus integris. Est & cum solus (vt supra diximus) aliunde sublatus vapor, pulmonem & diaphragma petens atq; distendens, idem inuehat malum. Asthmatici cuiusdam, inquit Valetius, dissecto corpore, abscessus repertus in arteriosa vena, nullo in fistulis aut cauitatib. pulmonis cōsistente humore.

RESPONSIO.

Quòd Simonius in Asthmatis morbi vel nomine vel re hallicunetur.

Asthmaticæ oppressionis omnes differentias enumerare longum esset. Simonius aliquot enumerat, quæ cū febre accidunt. ex quo apparet, eum morbi Asthmatis nomen impropriè accipere. Nam Gal. lib. 6. comm. Aph. 46. & 7. de comp. medicam. per loca, cap. 6. & 3. de morb. Vulgaribus, com. 2. partic. 4. & 6. *& alibi inquit; propriè dictum Asthma, quemadmodum & dyspnœam, & orthopnœam, absque febre esse. Verùm nihil mirum, si de Asthmate cum febre coniuncto nunc loquitur Simonius. nam, mutata priore sua sententia, Regis morbum iam non Asthma, sed Syncopem asthmaticam cum febre vocat. Ad Valetium quod attinet, vnusquisque animaduertere potest, cum de Asthmatico illo, qui in fistulis, & cauitatibus pulmonis nihil habebat humoris, vt de re, quæ valde rarò accidat, narrare. Sed fuit'ne Asthmaticus ille absque ulla pulmonum labe, si in arteriosa vena abscessum habebat? Vbi'nam arteriosa vena residet, nisi in pulmonibus, Domine Physice & Anatomice? qui nescis, morbum Asthma sine febre esse, & arteriosam venam in pulmonibus disseminari. Pudet sanè tecum plura verba commutare, quando ne leuissima quidem artis nosti, & nihil aliud studes, quàm omnia, siue ad rem, siue præter rem, congerere; tantùm, vt aliquid habeas, quod in me euomas.*

SIMONIVS.

XCIIX. Sed referunt nihilominus, qui laniatus illius spectatores ac ministri fuerunt, exemptis eo modo visceribus e corpore, discerptisq; vasis omnibus non exiguam atri sanguinis copiam, in vena caua, paulò

caua, paulò supra renes, qua etiamnum illæsa erat, inclusam, ab omnibus animaduerti potuisse.

RESPONSIO.

Scirem ego perlibenter, num administrarit vnquam Simonius Anatomen. nam, si administrauit, suo sanè testimonio, Lanius dici debet, qui opus illud laniatum vocauerit. Memini quidem, legisse epistolam quandam discipulorum Simonij ab ipso tamen impressam, in qua nescio quid de Anatome conqueruntur. quæ si tum a Simonio ficta est (vt plerique putant) prodit nihilominus, cum, si non fuit, saltem voluisse esse lanium. quod si ita est, quid prohibet, quin lanius dicatur; cum præsertim laniorum instar corpora humana, quemadmodum illi boues, & oues, secto abdomine & thorace, aperiat? Certè Anatomicus dici non potest, qui hæc nesciat, & qui arteriosam venam in pulmonibus nunquam viderit. Nam præterea hîc pro maximo argumento ad suam confirmandam opinionem affert, non exiguam atri sanguinis copiam, in vena caua animaduerti potuisse. qua in re non solùm se nunquam Anatomen administrasse, declarat: verùm etiam ea, quæ vel pueri norunt, ignorare. Quis enim ignorat, sanguinem iam refrigeratum concrescere, nigrescereq;, non'ne hoc in quocunque cadauere humano iam refrigerato animaduertere licet? Sed fortasse lanius iste noster viua tantum animalia secuit, vt hæc obseruasse non potuerit.

SIMONIVS.

Anatomicus Physicus imò verò & Metaphysicus Bucella, si morbi sedem probè discere voluit, cur aperto cadauere arteriæ XCIX. magnæ, ipsiusq; adeò venæ cauæ, atque insigniorum earundem aliquot propaginum: quæ in viciniores ipsi trunco respirationis organorum sedes prodeunt, ductum a renibus ad iecur, ab hoc ad cor & iugulum vsque, nunc protrusis hinc inde manu, aliàs eleuatis e sua sede obuiis visceribus etiamnum integris, sensim, citra sectionem, ac dilacerationem omnem prosequutus, attentè ac diligenter singulas eius partes examinando non contemplatus est?

RESPONSIO.

Non Anatomicus Physicus tantùm et Metaphysicus, sed & diuinus quispiam esse debuissem, si in triduano cadauere qualis fuisset sanguis ante mortem, exteriùs venam cauam & arteriam magnam inspiciendo, citra sectionem ac dilacerationem omnem, obseruare potuissem.

SIMONIVS.

Cur Doctorem Simonium quoque ad inspectionem eiusmodi C. ac demonstrationem accersiri non curauit? Noluit scilicet illum

 habere

habere præsentem, quia studiosè cautum voluit, ne eiusdem operâ, morbus quem ipse nouisse minus potuerat, aliis manifestior fieret.

RESPONSIO.

Ita'ne, cur te non accersiri iußerim? Nempe quia coram Senatu, te intereße recusantem audiui, & ipsemet superiùs fateris, te, quòd aßiduo dolore ex morte Regis cruciareris, nouæ illius crucis spectatorem eße noluiße. Nolui, scilicet, te habere præsentem, quia tu adeße noluisti. Verebaris sanè, vt nomen & existimationem Doctoris (habet hæc vox emphasim quandam in ore Simonij) sustinere poßes. Si enim aliquid docere ac præscribere oportuißet, nesciuißes. Et, si pulmones te præsente absque labe reperti fuißent, non habuißes, quomodo te excusares coram Medico aulæ, & coram Pharmacopola, qui iam aliquoties, ex te, Regem Asthmate mortuum eße, audierant.

SIMONIVS.

CI. Prçterea eruditiorum etiam omnium cõsensu, certum est, latiores illas maculas (ἐκχύμωσιν Græci nominant) quæ in recens & vix dum extinctis hominibus, sese plerunque variis in partibus corporis monstrant, partim ad symptomaticam quandam ex internis in externas venas, indeq; hiantibus iam ac discessu caloris natiui, quasi resolutis osculis in cutem, vi residui illius, qualiscunque demum superstes insit, caloris tentatam expulsionem, partim verò ad simplicem sanguinis feruorem & ebullitionem, quam conceptus ex corruptione calor ciet, esse referendam: eaq; potissimum parte primum erumpere cõsueuisse, qua maxime laborauit æger. Iam verò mortuo vix atque etiamnum bene calente Regis cadauere, vniuersum dextrum, qua thorax est dorsi latus, demirante quoque id Bucella, mox atro sanguine longè lateq; reliquis adhuc omnibus partibus, adhuc integris commaculatum est.

RESPONSIO.

Maculæ, quæ visæ sunt in dorso Regis, communiter omnibus, qui in pluma moriuntur, & in ea aliquandiu post mortem detinentur, accidunt. Nam, dum calor a plumis fouetur, sanguis illuc decumbens eas excitat. Verùm Simonius, quòd firmas non habet vllas, leuißimas quasque se defendendi, meq; oppugnandi causas quærit; vel potiùs occasiunculas frustra captat.

SIMONIVS.

CII. Ex naribus, ex ore, ex auribus Regii cadaueris, nihil tum, aut deinceps effluxisse visum.

RESPON-

RESPONSIO.

Nihil tum effluxit, quia suffocatus Rex mortuus est. sed postridie eius diei ex ore, & naso copiosus sanguineus ichor sensim effluebat; quemadmodum Magnificus Thesaurarius Mlodzieiowski mihi primus retulit; & quemadmodum postea ipse vidi, nec non sacerdotes omnes, qui cadauer custodiebant, viderunt. Simonius, qui contrarium scribit, vel hæc nescit, vel potiùs nescire se, fingit.

SIMONIVS.

Sed neque dolore aut grauitate vlla capitis, neque sensuum mentisq; hebetudine, aut vertigine vel minima, neque ventriculi vellicatione, aut fluctuatione, aut vomitione, nec vllis eiusmodi præcurrentibus epilepticis indiciis, momentanea illa defectione animi primùm, deinde verò ea cessante, molesta diuq; perseuerāte opresſione, viuens adhuc miserabiliter exercebatur Rex. CIII.

RESPONSIO.

De capitis grauedine conquestus est non semel Serenißimus Rex. de alijs verò symptomatis, cuiusmodi iste recenset, nunquam. Sed cum ista, indicia Epilepsiæ per consensum, præsertim a ventriculo, sint; dolosè ab ipso sunt insinuata, quasi ego, Regis Epilepsiam fuiße per consensum, iudicauerim. Cæterùm, si Medicinæ praxeos gnarus eßet, non quidem ab his indicijs argumentaretur; sed ab ijs, quæ apparuerunt, licet non prorsus euidentibus, morbum agnouißet. Vt enim pulchrè Iacchinus, quem iste citauit, monet, Optimum medicum signa pathognomonica habere conuenit, non tunc modò cum euidentes præbent sui notas, sed tunc, cum adhuc obscuræ sunt & ambiguæ, instar boni & exercitati olitoris, q nuper natas herbas distinguere & proprio nomine appellare nouit. *Egregium se putat medicum miser iste, quia fingere morbos, & paradoxa defendere, calumnijs potiùs, & maledictis, quàm veris rationibus, poßit. At sanè non qui garrire, sed qui mederi scit, Medicus & est, & iure censeri debet.* In 9. Rhas. cap. 7.

SIMONIVS.

Verùm esto sanè, leuis quædam, vt Bucella Physicus & Anatomicus voluit, epilepsia fuerit: longè tamen plures asthmatica syncopi, quàm graui etiam Epilepsia momento extinctos ac suffocatos videmus. CIV.

RESPONSIO.

Quinimmo Epilepsia multos, asthmatica Syncope neminem extinctum vidimus. Concedimus quidem, fuiße qui asthmate, vel orthopnœâ potiùs, laborantes, in Syncopen inciderint, & mortui sint. Sed, qui Syncopi asthmatica, id est

tali morbo

tali morbo laborauerint, vt primò Syncopi correpti, aſthmate deinde vexarentur, quenquam non modò non vidimus, ſed nec etiam legimus. Et, ſi vocem hanc Syncopem aſthmaticam, vt ſonat, accipis, nimirum vt morbum ſignificet, ex Syncope & Aſthmate compoſitum, nihil habet tuus iſte imaginarius morbus, cum illa Hippocratis idea 4. de rat. vict. acut. commune. Accidit quidem interdum, vt

Lib. 3. fen. 1. tract. 5. cap 8. cap. 11.

Syncope Epilepſiæ coniungatur; id quod Auicenna & Ioannes Anglicus annotarunt; verùm propriè Epilepſiam, non Syncopem fuiße Regis morbum, colli & temporum, qui manifeſtè conuellebantur, muſculi facilè (quicquid Simonius dicat) declarabant. Quòd ſi Syncope fuißet ex impedita reſpiratione, omnino vehemens aſthma præceßißet, & ante caſum oris apertio, brachiorum dilatatio, præcedere debuißent. Aſthma paßum eße Regem, difficulter nempe & densè inſpiraſſe, verißimum eſt; ſed Aſthmate morbo laboraße, falſißimum. Aſthma enim hoc, Epilepſiæ ſymptoma erat. Et licèt contingat frequenter, vt Epilepſiam difficilis præcedat reſpiratio, quemadmodum Gualterus Bruele, & alij teſtantur: tamen

In ſua praxi.

paroxiſmos Epilepticos, quibus Rex laborauit, ſpiratio impedita ſubſecuta eſt, nunquam præceßit; niſi forte vltimum. Sed accidit tamen id ratione prioris, non poſterioris paroxiſmi.

SIMONIVS.

CV.

Et potuit nihilominus Bucellæ Phyſici, atque Anatomici opinione, vel leuiſsima etiam Epilepſia, e medio auferre Regem.

RESPONSIO.

Non eſt hoc abſolutè a nobis prolatum, vt Simonius ait. ſed, vt noſtra ſententia planiùs intelligatur, altiùs ordiendum eſt. Quid ſit Epilepſia, num obſtructione, an compreßione, an adſtrictione fiat; num a flatulento ſpiritu, an a vapore, an verò ab intemperie ſimplici vel compoſita, an a materia, an denique ab aliquo ex quatuor humoribus, vel ab omnibus accidat, quæſtio eſt inter doctißimos quosq; viros; nec dum ab eis eſt aliquid certi conſtitutum. Galenus, Epilepſiam dicit eße motum vitioſum cerebri. id quod manifeſtius eſt, quàm, vt de eo dubitare quis poßit. Motus autem iſte vitioſus cerebri, non niſi percepta noxa fit. nam, quemadmodum in ſternutatione, ſic & in Epilepſia cerebrum ſe contrahere conſtat, vt id expellat, quod ſibi noxium eſt. Dum autem ſeſe contrahit, ſpiritum animalem in neruos tranſmittere nequit, & inde nerui contrahuntur, & ſenſus, ac voluntarius motus in vniuerſo corpore amittitur. Similis motus eſt ventriculi, quando a cauſa aliqua eum mordicante, ſiue intemperies, ſiue humor ſit, cogitur, ſingultumq; excitat. Et cor ſimiliter in valida noxa, ſanguinem & ſpiritum ad ſe reuocat, vnde partes omnes fere exangues manent. Quemadmodum ergo, ſi valida non ſit noxa, neque tanta cordis commotio, neque tam impetuoſus ſingultus,

Buccellæ ſententia de Regis Epilepſia, & quomodo ex ea mortuus eſſe dici poſsit.

2. aph. 45.

neque tam impetuoſus ſingultus, neque tam vehemens ſternutamentum fit: ſic etiam, vbi vel quantitate modica, vel, ſi non modica, qualitate ſaltem non admodum peccante, cauſa morbifica fuerit, non tantus erit cerebri motus, vt omnes partes conuellat. Ideo concidere motu epileptico aliquem poße, ſine vlla neruorum diſtenſione, teſtatur Celſus, & Nicolaus Piſo de cogn. & cur. morb. cum Epilepſiam ab omnibus morbis frigidis cerebri diſtingueret, ex vehemente & inæquali concußione corporis, & ſpuma in ore collecta. dixit tamen, has notas in leuiore Epilepſia non apparere; vtpote in ea, quæ a tenuiore materia, & fumo acri excitatur. Et Iacchinus in 9. Rhaſis notauit, quoſdam Epilepticos tam leui acceſſione corripi, vt vix concuti appareant; nec cadant, quamuis vacillent pedibus; ſtatimq; ad ſe redeant. Et ſignum dicit eße, eorum cerebrum percepta leui noxa contrahi, & expulſionem moliri. Cum ergo leuis in his noxa cerebri ſit, & proinde non vehemens concußio partium ſequatur, manifeſtum eſt, eos, qui tali Epilepſia laborant, ipſo morbo per ſe interire non poße. Verùm, dum concutitur cerebrum, materiamq; morbificam diſcutit, ſæpe fit, vt eius diſcußæ materiei ratione alius affectus inducatur; qui tametſi naturâ poſterior, facultate tamen potentior ſit priore. Ideo quandoque accidit, id quod omnes norunt, vt Epilepſia in Apoplexiam, vel ſaltem in Paralyſim ſoluatur. Leuißimus fuit motus epilepticus, quo Serenißimus Rex Stephanus corripiebatur. nam neque oris ſpuma, neque excrementorum expulſio, neq; vehemens partium conuulſio, apparebat. Atqui non ob Epilepſiam ipſam per ſe: ſed ob ſymptoma, quod motum epilepticum conſequebatur, mortuus eſt. Ideo, ſi dicatur Rex leuißimâ Epilepſiâ ſublatus, hoc per ſe falſum erit. Sed ſi ita intelligatur, vt, cum Epilepſiâ corriperetur, diſcußa in Epilepſiæ inſultu materia affectum inuexerit, ex quo ſuffocatus ſit, verißimum erit. Neque id mirum. nam, vt Galenus ait, fit interdum, vt, cum morbus non ſit per ſe lethalis, ſymptomatis tamen ratione ægrotus moriatur. Exempla huiuſmodi in arte Medica non rara ſunt. quemadmodum, ſi quis neruum in digito punxerit, punctura per ſe non eſt lethalis morbus; ſed ſuperueniente interdum ſpaſmo, qui ita punctus eſt, moritur. Similiter in febribus, quæ per ſe lethales non ſunt, huiuſmodi ſymptomata, vt hæmorrhoidum vel per nares nimius ſanguinis fluxus, ſuperueniunt, quæ ægrotum interimunt. Ad rem. Etſi Epilepſia, qua Rex corripiebatur, non tanta aut tam vehemens erat, vt ipſa curari non potuißet, nedum vt quenquam necare debuißet; tamen, dum concuteretur cerebrum, tenuem illam materiam, a qua vexabatur, diſcutiebat, quæ lapſa deinde, vel potiùs tranſmißa ad neruos muſculis thoracis inſeruientes, eos replebat. Vnde difficilis illa inſpiratio, vel potiùs ſuffocatio, qua Rex defecit, conſequebatur. Neruos tum

Lib. 3 cap. 23.
Lib. 1. cap. 19.
Cap. 13.
Auic. lib. 3. fen. 1. tract. 5. cap. 8.

obstrui, non autem cor aut pulmonem affi i, fortes dorsi potissimùm frictiones, quibus anhelatio illa discutiebatur, amplum satis præbebant testimonium. Cum igitur & Epilepsiæ, & obstructioni neruorum, quæ sequebatur, iisdem præsidijs occurrendum esset, dedi ego quidem operam, vt a principio & vena brachij secaretur, & vniuersum corpus conuenienter purgaretur, &, quod caput erat, ne noua materia morbo suppeditaretur. Sed mihi Simonius in his omnibus reluctatus est. Atque, vt multa prætercam, non solùm sectionem venæ, & purgationem tempestiuè adhibere noluit; sed etiam, me dehortante, Regem semper hortatus est, vt vinum biberet. quod, cum, vt Aristoteles & Medici omnes pronuntiant, caput repleat, & neruos tentet, materiam morbificam frustra renitentibus medicamentis semper auxit, & curationem omnem peruertit. Sic potuit vnius Simonij, hominis ignarissimi, petulantia de medio auferre Regem.

Lib de somno, & vigilia.

AD SIMONII PARALIPOMENA.

Causæ tres huius Simonianæ appendicis.

QVÆ causæ Simonium mouerint, vt suo scripto appendicem hanc adiungeret, si quis & eius perspectum habeat ingenium, & ea, quæ hucusque ab ipso scripta sunt, accuratè perpenderit, facilè intelligere poterit. Neque enim est, quòd ei ita simpliciter credatur, quod ait, Velle se de Medicis, & adstantibus aliquid delibare. Consueuit enim ipse sæpe aliquid monstri alere, & aliquo semper prætextu dolosum suum animum tegere. Nam & propterea, cum animo gladiatioro ad ipsum scriptum conscribendum se accinxerit, vt odium videlicet virusq; suum in me, & in Vesalinū euomeret, eiusq; criminis nos reos faceret, cuius ipse reus est; suum hoc propositum quasi velo obducens, dixit, se hanc prouinciam scribendi de Regis morbo, & morte, vt Senatus proceres negligentiæ sugillatos ab omni labe vendicaret, suscepisse. At verò, quia præ animi impotentia non potuit ita latere, vt non appareret, omnia hæc fulmina esse in me, & Veselinum (in me autem præsertim) directa, absoluto iam scripto, cum se recolligeret, animaduertens non præstitisse se id, quod a principio receperat, hanc appendicem adiecit, vt aliquid in Senatorum illorum excusationem adderet. Hæc igitur appendicem hanc suo scripto adiungendi Simonio vna causa fuit. Verùm non tanti hoc illi erat, quanti, quòd sibi quoque opus esse excusatione videbat. Nam multi rescierant, me duos & amplius annos, ante Serenissimi Regis mortem conquestum esse, quòd mihi Simonius collega contigisset, homo sibi nimium tribuens, & praxeos medicinæ omnino ignarus: vt, si Regem ægrotare contingeret, ab ipso commodum nullum, immo incommoda multa essent mihi expectanda; & idcirco, desiderare me tertium collegam; atque vt doctus industriusq; aliquis Medicus adsisceretur, cum ipso Rege, cum Magno Cancellario, cum Episcopo Premisliensi, & alijs egisse. Ideo Simonius, ne quis ipsius petulantiâ Regem extinctum diceret, ac ne, vt verum est, dicere ipse possem, me, quæ euenerunt, mala omnia præuidisse; cum de his agere in scripto suo incautè prætermisisset, nouam instituit rationem, ad quam ea nihilominus posit referre, iisq; per occupationem occurrere. Atque hæc altera causa fuit, quæ Simonium ad appendicem istam conficiendam impulit. Tertia adhuc est causa. nam, cum se ad eum, quem sibi morbum finxit, nulla vel pauca præsidia attulisse animaduerteret, quò ipsius existimatio integra apud eos quoque maneret, qui eum adhuc ignorant; necessarium iudicauit aliqua verisimili saltem excusatione huic incommodo obuiam ire, suæq; fa-

Prima.

Secunda.

Tertia.

mæ et existimationi prospicere. idq; nimirum hoc pacto. Non plura a se nec exquisitiora administrata fuisse præsidia, quia non fuerint alia in promptu. Etenim arculam quandam argenteam, vbi præstantissima asseruarentur remedia, fuisse apud Veselinum, qui eam, præ auaritia, nobis dare noluerit.

Ad tertiam.

Verùm, vt sigillatim ad omnia respondeamus. si cui hoc verisimile videtur, Veselinum hominem non solùm diuitem, sed etiam a Rege Stephano ditatum, a quo si multa habuerat bona, plura tamen sperare poterat, Regi ac domino suo grauissimè laboranti ipsiusmet medicamenta negasse, is hoc certò sciat, nunquam talem arculam visam fuisse; & quæ pretiosiora medicamenta Regis fuerunt, ea penes Regem, non penes alium vllum fuisse. Sciat quoque, Angelum Corbot, Pharmacopolam Regium, ita instructam tum, & semper habuisse officinam, vt quisquam alius, si non extra Poloniam, saltem in Polonia habere possit. vt omnino pudere debeat Simonium tam stolidæ immo tam putidæ excusationis. Mei non est instituti Veselinum hoc loco defendere, & si scio, ipsum & animam suam pro suo Rege fuisse daturum, si ita res tulisset, ne forte, nos tradere nobis ipsis operas mutuas, diceret Simonius; sed veritas ipsa per se eum cumulatè defendet.

Ad secundam.

Altera causa, quamobrem ad hæc scribenda Paralipomena Simonius animum appulit, erat, vt occurreret ijs, qui, cum me, adhuc viuente Rege, de ipso Simonio conquerentem, & alium præter ipsum collegam postulantem audissent, suspicari poterant, quæ euenerunt, quemadmodum ipse prædixeram, eius culpa euenisse. Occurrit igitur ea repetens, quæ ante in scripto de me nugatus est, nimirum me in Italia fuisse merum Chirurgum; ex Italia in Transyluaniam aufugisse; ibi primùm elegantiorem medicinæ partem profiteri cœpisse; ac tandem, me, quorundam tantùm opinione, non reuera, medicum esse. Ad hæc ferè in superioribus respondi. Sed addam tamen aliqua. Primæ ergo obiectioni sic paucis respondeo, quemadmodum & antea, Cupere nimirum me, vt Simonius oblatam a me sponsionem accipiat. Sic enim verbis non erit opus. Et, si non probauero, me Patauij partem alteram Medicinæ, quam vocat elegantiorem, honorificè exercuisse, referet meæ pecuniæ tria & quatuor etiam, si placuerit, millia florenorum. quod si id probauero, det ipse suæ audaciæ ac petulantiæ pœnas; & discat in posterum accommodatiùs mentiri. Ad aliam obiectionem de fuga, neque etiam multis opus est. Nam dixi, quomodo in Transyluaniam ex Italiá venerim; nempe a Principe Stephano maiore stipendio, quàm Simonius ab eodem Rege huc fuerit vocatus. Iam, quod attinet ad artis exercendæ principium, quamuis, si tum etiam primùm cœpissem, artem exercere, quando ex Italia in Transyluaniam me recepi, eam tamen multò ante, quàm Simonius, exercuissem: tamen dico, eam me in Italia, annos plus minus sedecim, optimo cum successu exercuisse, id quod vel ex multis meis

discipulis, qui iam magistri atque (vt vocant) Doctores sunt, & ætate graues, probare possum. Dicat iam Simonius, quando elegantiorem hanc, immo quando Chirurgicam, vel aliam Medicinæ partem exercere ipse cœperit. certum est quòd non, cum esset in Italia, (nam noster iste cuculus non in suo, sed in alieno tantùm nido parit) sed neque, cum esset in Gallia, vbi Rhetoricas & Logicas quæstiones tractabat. Neque etiam, postquam fuit in Germania. nam scimus, ipsum ibi decennium & ampliùs eiusmodi (vt de medio termino Demonstrationis, deq; subiecto Logices) tractandis, contra Schegkium, & contra Carpentarium, contriuisse. idq; Simonij libelli, qui tum impressi sunt, facilè declarant. vt summa quædam Logicæ; Prodromus Antisimonij de ente contra Schegkium; Libri priorum analyticorum Aristotelis, Simonio interprete; Commentaria Simonij in primum Ethicorum; & huiusmodi alia opuscula, quorum iam vix nomen resciri potest. Itaque paucis tantùm annis, antequam ex Germania se amoliretur, Medicinam satis infeliciter exercere aggressus est. Nam statim lites habuit cum omnibus Lipsiæ Doctoribus, præsertim verò cum Næuio, quem ad Senatum detulit (astutè scilicet, vt solet) ne ipse ab eo deferretur. Lipsiâ ad aulam Cæsaris se contulit, vbi locum Medici aulæ obtinuit. Sed ita exiliter & præcipitanter (vt audio) medicabatur, vt breui omnibus inuisus, nisi dimissionem ipse petijsset, omnino tamen dimittendus fuisset. A Cæsaris aula in hoc Regnum, ad Regem nostrum perdendum venit; & his quatuor annis tot errata in arte commisit, vt ingens de re hac volumen verè conscribi possit. Itaque iustam causam collegam alium postulandi habui. &, cum id sibi Simonius, vt suam tueatur famam, adscribat, facit hoc sanè immeritò. Nam ego id solus postulaui, & mihi soli alium medicum conducendi prouincia erat demandata. id quod multi sciunt, & nos superius diximus; præterquam quòd ab alijs quoque publicè editis scriptis commemoratum est. Et hæc satis superq; pro nostra, a Simonij calumnijs, defensione dicta sint.

Ad primam.

Reliqua ex tribus causis, quæ Simonium ad hæc Paralipomena conscribenda adduxit, ad quam tamen, tanquam ad scopum, omnia referri vult, quæ ab ipso scribuntur, excusatio Senatorum erat. Nam, cum in principio proposuerit Senatores excusare, qui tamen nunquam, quod sciam, sunt negligentiæ insimulati, cumq; velit, sibi vt credatur, se totum hunc tractatum in eorum defensionem scripsisse, & nunquam tamen, vt ante diximus, hucusq; mentionem eorũ fecerit, addendum fuit aliquid, cum quo & hæc misceri consideratio posset. Instituit igitur hanc appendicem scribere de Medicis & adstantibus Regijs; in qua, dum de istis iterum insanè loquitur, & nobis ad nauseam & vomitum vsque conuiciatur, de Senatoribus quoque aliquid addit. Summa autem excusationis hæc est, atque his ipsis verbis a Simonio prolata; In arcem quotidie, imò verò singulis fere

horis ſeruos mittebant ſuos, aut ipſimet conueniebant Senatus Polonici ac Lithuanici proceres, & aulæ Regiæ nobiles primores aliquot: orantes, petentes, inſtantes, vt ſibi de Regis valetudine certum aliquid cognoſcere, aut illum etiam videre, viſere, alloqui, in quo Reipub. ac fortunarum communium ſita eſſe videretur ſalus, liceret. Verùm hac etiam in parte fatali illa Regis fortuna, vſi ſumus iniquiore. Vix enim tunc primum ſunt in conclaue Regium introducti Senatores, cum iam Rex reddito ſpiritu, clauſiſq; in æternam (vt Poeta loquitur) noctem oculis, Regnum vnà cum fragili hac atque caduca vita depoſuerat. *Sed quisnam huius cauſa fuit, Simon, quando non ipſorum negligentia hoc factum eſt?* Vnus (*inquit*) quem frequentius quàm vellem nominare cogor, Ferenz Veſelinus Vngarus, qui Regi ad nullum adhuc Principatus gradum euecto, priuatamq; paternæ domi ſuæ vitam agenti, a puero ſeruiuit. *Hoc falſum eſt. nam cum Rex tum primùm ad ſe recepit, cum princeps Tranſyluaniæ fuit declaratus.* non magni iudicii iuuenis, nullius eruditionis, nullo tractandarum aut gerendarum rerum vſu præditus, nulla demum ingenii, nulla ſermonis, nulla morum gratiâ, ab vllo (quod ego quidem audiuerim) vſquã aut vnquam ex animo commendatus, inuiſus (neſcio quamobrem, ſed fortaſſe immeritò) nepotibus ipſis Regiis, atque Vngaricæ nobilitati, quæ in aula erat, & quod ſibi vni natus, ſuiq; vnius commodis ſeruiens, ſi quæ vnquam aut vſquam caduca hæreditas vel poſſeſſio vacua eſſet, eam quaſi perpetuò famelicus atque inſatiabilis lupus inhiare vulgo putaretur, (quod ego tamen vt credam vix adduci poſſum) Polonis ac Lithuanis quoq; nobilibus, odioſus ac ingratus. *Cui tamen Simonius, vt ſupra vidimus, Regem paroxiſmo correptum ad ſe reuocare conanti, caputq; quaſi è corporis trunco euulſuro, hinc inde, vt Simonius vult, ſuccutienti ac contorquenti, continere ſe non potuit, quin in os diceret.* Modum illum Aſinis aut bobus, quàm hominibus & Regibus exſuſcitandis aptiorem eſſe: pluſq; importuna & barbarica illa immanitate (non humanitate) exaſperari, quàm leniri malum: permitteret iſta medicis, ipſe quæ ſui eſſent officii ea curaret. *Hic inquam talis tantusq; vir, (vt ait Simonius,) fuit in cauſa, quominus ampliſsimi Poloniæ & Lithuaniæ Senatores, ante fores cubiculi Regij præſtolantes, orantes, petentes, inſtantes, intromiſsi fuerint, & quominus de Regis valetudine aliquid cognoſcere potuerint. Cæterum hæccine eſt vera tantos Senatores*

excuſandi

excuſandi ratio, qui ſibi a tali homuncione timuerint, & ſe ab homine omnibus inuiſo, nullius iudicij, eruditionis, vſus, illudi, ſeq; ludibrio haberi paſsi ſint; qui, inquam, propter hunc, nihil priùs certi de Regis ægritudine cognoſcere potuerint, quàm Regem fato functum viderint? Annon intus aderat Doctor Simonius, a quo ſi eum euocaſſent, diſcere omnia potuiſſent? Quem cum Veſelinus rogaret, vt de Regis valetudine rogatus, morbum non euulgaret; ſed potiùs diſsimularet, proteſtatus eſt, ſe certè, neque Deum, neque fidem Regi, atque ipſo iam extremè laborante, Reipublicæ Polonorum debitam, vllius cauſa nunquam, multò etiam minus in tanti momenti negotio proditurum. *Certè nimis frigidam Simonius excuſationem reperit, vt Senatores excuſaret. cum autem in eis excuſandis frigidior fuerit; in me tamen & Veſelino accuſando vehementior, quàm par erat, fuit. vt ipſe vel hac ratione prodiderit, ſe potiùs hæc ſcripſiſſe, vt ſe defenderet, vtq; culpam ſuam in nos reijceret, quàm, vt alios, qui nunquam culpati ſunt, defendendos ſuſciperet. Et ſanè, modò ipſe ſiluiſſet, per me potuiſſet in vtramq; aurem dormire; neque fuiſſet, qui ipſius euulgaſſet erratũ. Nam etſi non deerant, qui Regem veneno a Simonio ſublatũ eſſe dicerent; & Veſelinus quoque, ijs ipſis diebus, quibus Rex interijt (id quod fortè tantarum turbarum Simonij in Veſelinum cauſa fuit) dixerit, Regem in ſua ægritudine vinum bibiſſe, fuiſſeq; inter me & Simonium de vino controuerſiam; nemo tamen erat, qui vel apertè eum accuſaret, vel rem hanc magis patefaceret, erroremq; Simonij omnibus aperiret. Si quidem ego ſtatim a morte Regis, Simonij precibus adductus, recepi, me illi futurum amicum, & omnes præteritas iniurias obliuioni traditurum. Vnde etiam, mea fide & facilitate fretus, ſuam vxorem cum pecunijs, & meliore ſuppellectili ea ipſa nocte, qua Rex obijt, in mea bona miſit. Verùm paulò poſt, ſiue ex animi morbo impotentiáue, ſiue, quòd a ſua conſcientia accuſatus, fidem me ei non ſeruaturum putaret, qui tot ab ipſo contumelijs, ſummâ iniuriâ, toties affectus eſſem, œſtro liuoris maleuolentiæq; percitus, iterum me apud obuios quosque conuicijs lacerare cœpit, huncq; commentarium mendacijs vndequaque refertum conſcripſit. quo dum ſe excuſare, me autem accuſare nititur, ſe interim tamen reum eſſe prodidit. &, ſi nihil quicquam aliud egiſſet, certè mihi ſuos grauiſſimos errores, ſuum inſcitiæ petulantiæq; audax horrendumq; crimen patefaciendi euulgandiq; occaſionem dedit. Atque hæc ſunt, quæ ad Simonij Paralipomena ſummatim nobis dicenda occurrerunt.*

FINIS.

Errata ſic corrigenda.

Pag. 4.	lin.	6.	*ac cogitans,cum*
8.		1.	*eſset*
		2.	*Turcarum*
14.		2.	*poſtremò*
18.		7.	*partes*
19.		31.	*inappetentia*
21.		28.	*ſcalptura*
27.		26.	Rex *fecit*
31.		6.	*intenſiſsimis*
35.		11.	*erigere*
36.		30.	*purgauerint*
39.		27.	*viſæ*
44.		21.	*fortem,quibus exiſtentibus,aphoniam ab interceptione venarum minimè contingere,ait* Hippocrates,*Simonius complexus eſt,*
46.		34.	*miſsione per cucurbitulas*
48.		26.	*inſtitit*
50.		28.	*oblectatur*
56.		13.	*exiſtente*
		15.	*necare*
		31.	*Simonius*
73.		14.	*Epilepticis* Hydromelis *potum*
79.		27.	*cum vera*
85.		23.	*ſi ſimplicem*
91.		1.	*a Simonio confiсto*

Leuiora lector per ſe emendabit.

Hist. Polon.